



7
12-d
1
9
16 C
26




M

CHRONICA
SERAPHICI.

CHRONICA SERAPHICI MONTIS ALVERNAE.

In quo Iesus Christus Dominus Francisco Seraphico suę Passionis impressit Insignia.

Auctore P. F. Saluatore Vitale Sardiniensi Ord. Min. Obseru. Prouinciæ Thusciæ.



Florentiæ, Ex Officina Zenobij Pignonij. 1630. *Sup. Permissu.*

Pertinet ad Bibliothecam

Illuſtriſs. Excellentiſſimoq; Domino

D. EMANVELI PEREZ.
De Guzman el Bueno.

Duci Methinæ Sidoniæ, Comiti de Niebla, Marchioni Cazazæ de ordine Tuſonis aurei, Conſiliario Regio, Capitaneo Generali, Bethicæ.

Patrono atq; munifico Protectori Prouinciæ Sancti Gregorij Philippinarum.

F. Saluator Vitalis Franciſcanus. S. P. Q. F.



Eneris tui ſplendor, tuorum antiquiſſima ſtemmata, Maiorũ imagines, eorum Clariſſima belli facinora, parta trophæa, ſpectata præſertim illius (cuius rerum ſtrenuè fortiterq; geſtarum celebritas innoteſcit) *D. Alphonſi Perez de Guſman el Bueno*, in obſidione Thariſtæ fidelis equitis monimenta: tuæ iam vitæ morumq; integritas, clementia, prudentia, pietatis ac veræ Religionis cura, innumerabilia deniq; alia, quæ omnia ac ſingula, tam ſplendida, tam

lucida, tam illuſtria, tam fertilia, tamq; prædicatu omnia copioſa, vt centum linguas, imò centena principum eloquentiæ millia fatigare poſſent, exigunt, vt Aluernæ magnalia tibi meritiſſimè conſecrentur. Idque inquam ex animo, voto, atq; inſtantia R. P. Fratris Petri de Conceptione, Prouinciȩ S. Gregorij Philippinarum Procuratoris, & Commiſſarij ad Sanctiſſimam conuerſionem, à Reuerendiſs. P. omnigenæ virtutis exemplo, Santander Generali Indiarum Commiſſario, deſtinati. Tibi næ, ad noſtram beneficentiam nato, ad protectionem promptiſſimo ſuſcipiendam, ad Zoilorum ex Ariſtarchi lymphantium Schola mordacem illam, qua ſibi quæq; obuia reprimendam, dicacitatem præcipuo Mecȩnati. Tibi æquiori cȩteris iure, vtì Patrono dictȩ Prouinciæ Philippinarum à Superis dato, priſcȩ à vetuſtiſſima ſæculorum memoria Heroum nobilitatis deducta ſerie Guzmanorum inclyta, vnà cum genuinæ magnificentiȩ inſignijs effulgenti: tibi cum generis, tum fortunȩ, tam corporis, quàm animi dotibus exornato, Habet hìc, Heros ampliſſime Excellē-

tia

tia tua, Excellentissimum Regium Xenium, Munificentia, pretiosius atq; opulentius cũctis munus, murēnulas aureas vermiculatas argento, Sponsęq; inaures; quinq; nimirum Iesu vulnera Saluatoris; Petræ inquam foramina, Cauernæ macerias, cunabula columbarum. Accipito Mellifluì stillam nectaris. *Ego verò*, ait Bernardus, *fidenter, quod ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini quoniam misericordiæ effluunt: neq; desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus, eius & pedes, latusq lancea forauerunt, & per has rimas licet mihi sugere mel de Petra, oleumq; de Saxo durissimo. Dominus meus, & Deus meus, vnde hoc reportatum oraculum, nisi ex foraminibus Petræ? In his Columba tutatur, & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem, & ideo ait: COLVMBA MEA IN FORAMINIBVS PETRÆ. Quid non boni in Petra? in Petra securus, in Petra firmiter esto, securus ab hoste, fortis à casu.* Hæc Bernardus. in Cant. serm. 61.

Fige acies, bone Princeps, perspice, contemplare munusculum quinq; vulnerum, quod amplitudinis, ac celsitudinis tuæ ocu-

lis,cordis offero calatho. Namq; *vult videri, vult benignus Dux decori militis vultum* (oyd esto como Capitan que soys) *& oculos in sua sustolli vulnera, vt illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat, ad tolerandum, fortiorem. Enim verò, non sentiet sua, dum illius intuebitur vulnera. Stat Martyr tripudians, & triumphans toto licèt lacerato corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, sed alacriter, sacrum è carne sua conspicit ebullire cruorem. Vbi tunc ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in Petra, nempe in visceribus Iesu; vulneribus nimirum patentibus ad inrroeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum sentiret, dolorem non ferret, succumberet & negaret. Nunc autem in Petra habitans, quid mirum, si in modum petræ duruerit?*

En hìc quinq; Ægyptię Ciuitates, de quibus Isai. 18. *in die illa erunt quinq; Ciuitates in terra Ægypti*. Harum vna Solaris; *Ciuitas solis vocabitur vna.* Hęc lateralis Plaga? Quid ni? *Ibi enim coruscantis Christi amoris Sol, velut in suo curru triumphans, residet: & sicut in vrbe illa, quam alio nomine Heliopolim dixerunt antiqui, Phænix auis reuiuiscens renouabatur, sic*

anima interiorem vitam renouare desiderans, ad Christi latus accedit, vt antiquarum passionum pennis, & anteactæ vitæ culpis relictis, nouas cælestium cupiditatum pennas, nouaq; superna dona recipiat. Doctissimus Carthagena lib. 14. hom. 14.

En hìc Refugij quinq; vrbes, Paralip. 1. cap. 6. Arietes totidem Sacrificij; Naasson autem *serpens* interpretatur, & ecce serpens Iesus in deserto figuratus, incolumes reddit gentes, Num. 21. Arietes quinque ij, nempe vulnera, quę Patri obtulit Crucis in ara, cornigeri: claui sunt cornua, *& cornua in manibus eius.* Appensi sunt hisce capti illi, peremptiq; à Iosue Reges quinq; *interfecit eos, atq; suspendit super quinq; stipites.* Iosue 10. En hìc Abigail quina munera: *quinq; arietes coctos, quinq; sata polentæ* 1. Reg. 25.

En hìc, Princeps, quinq; Dauidici lapides, quibus Goliath illum, non figuratiuum sed figuratum, stygium strauit Iesus. *Elegit sibi quinq; limpidissimos lapides de torrente* 1. Reg. 17. Ecquis nescit, quod ipse, *de torrente in via bibit?* Tunc hosce colligere lapides orsus, Passionis inquam dolores, & Crucem.

En

En hìc, o Dux, Ducis eiuſce Dauid panes quinq; *Nunc ergo ſi quid habes ad manum, vel quinq; panes*. 1. Reg. 21. Vides hìc quinque mille Salomonis carmina, *fuerunt carmina eius quinq; millia*. 3. Reg. 4. En hic tibi perennes aquæ viuę ſcatebræ; *haurietis aquas de fontibus Saluatoris*. Iſa. 12. Feneſtræ obliquę Salomonis templi, *fecit in templo feneſtras obliquas*. 3. Reg. 6. hæq; vitreæ aureæq; æternitatis Sacelli; admirabile Patri donum; *oblatum donum miratus eſt Pater*; ait Chriſoſt. ſerm. de Aſcen. tom. 3. infiniti valoris Xenium, impretiabile munus, inæſtimabilè felicitatis humani generis monimentum.

En hìc tibi, quinq; lucratiua talenta; Matth. 25. Quinq; vaſa olei prudentum Virginum Matth. 25. imò ipſæ quinq; prudentes, Sponſi cæleſtis amaſię, quę intrauerunt cum eo ad nuptias Paradiſi, fatuaſq; omneis propulere. En hìc porticus quinq; priſcinę, Ioa. 5. En quinq; illa Pauli verba, *in Eccleſia volo quinq; verba loqui*. 1. Corin. 14. En quinq; literę nominis Sacroſancti *Ieſus*, quo ipſum in Spiritu Sancto profertur; Ecce iſthic, vocales quinq; A. E. I. O. V. Alphabeti ſuperni;

ni, ſine quibus cęteræ literæ mutæ ſunt, cęteræ perdunt vocemq; ſonumq; Habes hìc illos aſperrimos quinq; panes hordeaceos, Ioa. 6. Eccere deniq; quinq; Zonas cœli, de quibus Ouid. 1. Metam. *vtq; duę dextrę; &c.* de quibus Maro, Georgic. 1.

„ *Quinq; tenēt cælum Zonę, quarū vna coruſco*
„ *Semper ſole rubens, et torrida ſemper ab igne,*
„ *Quā circū extremæ dextra, læuaq; trahuntur*
„ *Cęrulea glacie concretæ, atq; imbribus atris,*
„ *Has inter, mediamq; duę Mortalibus ægris*
„ *Munere conceſſę Diuum.*

Mirum! *quarum vna coruſco, ſemper Sole rubens, & torrida ſemper ab igne:* nonne congruè de lateris plaga, id fandum? Plaga illa, quid quæſo niſi Aetna Seraphica, flammas euomens? Per ipſam cor flammeum euaporat Exterius, exhalatq; En hic tandem quinq; grana Cærei Paſchalis.

Tantum accipe Xenium, ſi quantitas tuæ ſordeſcat moli, affectus huiuſce arrideat qualitas: Audias Leonis aureum. *Non de muneris penſatur pondere, ſed de beneuolentiæ quantitate.* Algeri de Sacram. lib. 2. c. 7. *Quia Deus curat non ex quanto corde ſibi ſeruiatur.* Diſce

igitur


igitur ex hoc, non quantum ſed potius quale rependere, diſce cordis affectum excipere, animum reſpectare. *Sæpe ſub exiguo munere magna latent*. Verùm & dantis perſonam quoq; reſpicere debes, Seruorum Dei ſcilicet, qui tibi viritim à cœlo, & ſuperis iugiter ſalutem felicitatemq; inſtantiſſimè flagitãt. Perſona vna ſunt omnes, erga tuæ celſitudinis beneuolentiam, & amorem connexi; Diſcalciati Sancti Franciſci alumni: nec te latet, ampliſſime Procer, Diſcalciatos hoſce (omnium gratia dixerim) decorem eſſe Domus Dei, Decus Eccleſię, nouæ prolis fętum vberrimum, quo ipſa Eccleſia incrementis amplificatur egregijs: quorum virtutum elegantia Franciſcana Religio venuſtatur, perfectionis exemplo renidet, Sanctitatis ſplendore coruſcat. Hic eſt, vt ea, quæ ſuo ſuorumq; omnium nomine, R. F. Petrus Procurator, & Commiſſarius Philippinarum potentatui tuo nunc donat, magni pendas, dicente Ouidio lib. 4. de Ponto. *Multiplicat tamen hunc grauitas Auctoris honorem, & Maieſtatem res data dantis habet*. Prouincia Philippinarum grauiſſima magnęq; auctoritatis

tis perſona eſt. Grauis proculdubio eſt quoque dãs Auctor, Sacerdos vti Altiſſimi, Deo addicta perſona ſolemniter, ſerenus excipe, gratus accipe, libenter ſuſcipe quod offertur.

Nueſtro Señor guarde la Iluſtriſſima, y Excelentiſſima perſona y eſtado de V. Excel. que con ſu gracia alumbre nueſtro entendimento, abraſe la voluntad, y aficione nueſtros coraçones, y deſſeos; de manera que ſe cumpla en todos lo que ſu Santa voluntad ordenare; y eſta obra que à V. Excel. dedico, aproueche, y ſea occaſion de que ſu Mageſtad Soberana, ſea en ſu Sieruo Franciſco enſalçada, ſeruida, y glorificada. Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua. Vale ad Neſtoreos, ad felices, ad quot, ad quos optamus annos.

Florentiæ, in Conuentu S. Saluatoris, in quo aſſeruatur habitus S P. Franciſci, is ipſe quo Sacra recepit ſtigmata; die 13. Iunij. 1630.

AD



Ad pium Lectorem.

P*Arce mi candide, si qua offenderis impolita: ægrotus eram dum hæc æderem; nec mireris tales tantoque præli errores, quos nec velim, neq; potuerim absens auertere. Macrobius lib. 5. Saturnalium c. 3. (Magister Franciscus Aretinus conqueritur) tria dixit, antiquitus habita fuisse ex æquo impossibilia: Ioui fulmen subtrahere, Herculi clauam, & Homero versum. Auserim ego quartum addere, Typographiæ errata. Argi oculi vix sufficere videntur, præcipuè verò, si dum sub prælo sudat opus, Auctor absit. Errores multiplices irrepsere; deteriores corrigam, alios oculatus agnosce. Vale, hocceq; Montis opusculum, Seraphici Patriarchæ nostri gratia, meritisque, ne respuas. Mihi quod obolet; Deoq; bonorum omnium fonti, quod redolet tribuens.*







Emitte lucem tuam Iesu, & veritatem tuam Christe: ipsa me deduxerunt à sæculi tenebris, *& adduxerunt in Montem Sanctum*, Seraphicam Religionem, *& in tabernacula tua*, Vulnera, *contemplanda, & describenda. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

Basis, & fundamentum totius Historiæ.

CRVCIS Christi mons Aluerna
Recenset mysteria.
Vb i salutis æternæ
Dantur priuilegia,
Dum Franciscus dat lucerna
Crucis sua studia.

Hoc in monte Vir deuotus
Specus solitaria
Pauper à mundo semotus
Condensat ieiunia,
Vigil, nudus, ardens, totus,
Crebra dat suspiria.

Solus ergo clausus orans
Mente sursum agitur,
Super gestis Crucis plorans,
Mœrore conficitur;
Crucisque fructum implorans
Animo resoluitur.


Ad quem venit Rex è cælo
Amictu Seraphico
Sex alarum tectus velo,
Aspectu pacifico,
Affixusque Crucis telo
Portento mirifico.

Cernit Seruus Redemptorem,
Paßum impaßibilem,
Seclorum Imperatorem
Tam pium, tam humilem,
Verborum audit tenorem,
Viro non effabilem.

Vertex montis inflammatur
Vicinis cernentibus
Cor Francisci transformatur
Amoris ardoribus
Corpus verò mox ornatur
Mirandis Stigmatibus.

Collaudetur Crucifixus
Tollens mundi scelera,
Quem laudat Concrucifixus,
Crucis ferens vulnera
Franciscus prorsus innixus,
Super mundi fœdera. Amen.





MONS.

Eius descriptio, situs, forma, nomen, & alia plura. Lib. 1. Cap. 1.

IN principio, quo creauit Deus Cœlum, & terram, montium quoque moles intumuit, eorumq; sub aquis prominuere cacumina. Dominico die mundus incæpit à luce; quæ adhuc ipso tenebris inuoluto, ab æternæ scatebra claritatis erupit? Septembris mensis (vt Abulensis part. 1. Defensorij cap. 14. Rabinorum auctoritati arridens) opinatur die 25. eiusce mirabilis opificij structuræq; primordia veneramur; dum Lyra in Gen. 7. suas hoc modulo fides excutit; Autumni videlicet tempore mundi cunabula vagientis extasse. Nec absonat Lyra ab Exodi tono illo: *solemnitatem &c.* cap. 23. neque ab illo 34. *solemn. hebdomadarum &c.* Nec demum ab eo quo Gen. 2. accinit Moyses; *produxitq; Dominus*: eoque cap. 3. *de fructu lignorum*. Maturos fructus quis habet? Autumnus.

Septembris igitur mense (*Tysri* aliàs) Montes prominuere cum terra, vt piè differitur: dieq; tertio, is est Martius, congregatis aquis in locum vnum, detectaq; maris operculo, aridas frontes & cornua protulit alma tellus. Tumque tu (Angelicum culmen) futuræ Christi militiæ Martium castrum, die Martio vnà cum cœteris iugis apparens, hisce ornatum va libus impendisti. Qui te sub auras ab Oceano protulit triumphantem September: ipseq; fuit, qui te postmodum, Europæ Montium facilè principem, immortalis Dei Sa-

cris honoribus insigniuit. Alij euentibus varijs, occultisque viscerū terræ causis emersere; alij portentosi diluuij turbine conuoluente, lignis, terraqu; congesti, cumuli surrexere; tu verò, Mons Dei, mons pinguis, nonnisi ea metipsa, *quæ fabricata est Auroram, & Solem*, dextera conditus; caput ad Sydera sustulisti. Stetit repentè, inter Gauri Montis fimbrias, mareq; culmen vastum anno inquam 1538. 29. Septembris: alibique hoc genus alij montes insurgunt nuper educti; Aluerna verò Saxeus totus, & quasi dolatis, rupibus emunitus factus est manu Dei.

Situs Montis. §. 1.

INter Vmbriam, & Ætruriam Vertex hic eminet; altissimi Apennini humeros grauissimè premens. Longè latè prospectus explorat; vastam nimirum, ad Picænum vsque cœlum, Anconæ finitima, Ducatus Vrbij compita protrahit speculam. Romam, Neapolimq; ad Austrum habet, Florentiam verò, Pisasque ad Occiduam plagam, ad Africum ponè vergentes; ad Boream, Bononiam; ad Eoas propè auras, Diuæ Lauretanæ pretiosis obsequitur ædibus. Imminet Aluerna Casentinæ Valli, oppidis consitæ, iugiter iuni; Magni Ducis Ætruriæ ditio, statusq; munimen, & robur. Arx enim ipse Sanctus Mons est. Ex qua Signifer inclytus Crucifixi Iesu explicato vexillo, militiam Crucis in prælia concit. Superior ambitus 3. milliaria continet: inferior quinque millibus circumfertur. Intra eius diametrum in superficie sublimiori, monticulos 12. habet Apostolorum inquam symbolum de quibus B. Bernardinus Senensis 4. tomo de Seraphim, serm. 16. hæc. *In Monte Auerniæ, qui est Mons mirabilis. Nam primò est magis excelsus alijs, & circumdat per tria milliaria, & si bene considero habet duodecim monticulos*. Idem Augustinus

ſtinus à Millio in ſuo Dialogo. Et in noſtro Chronico bene meminimus. Videtur à longè vt ſignum ſuper Apennini vertices eleuatum, Regium culmen apex, & frondeum; abſciſſum & vnicum, atque à cœteris ſegregatum altiſſimis montibus circumſeptum, interſtitijs vallium auguſtarum diſcretum. Ab eductiori montis labro vulgò la Penna videtur Vrbium, & Marchia Anconitana, parteſq; Vmbriæ, Peruſiæ montes longè latèq; acies traijcit.

Vallis Caſentina cui Mons imminet. §. 2.

CAſentinum, vocatur vallis ampliſſima illa cui Mons imminet, ab antiquo vocabulo Cluſium; vnde Cluſinus, a, vm, & Cluſentinus a, vm; Populus. Hic belli ſtudijs aſper, natura ſuapte cruentus, apud Auctores celebritate pollet. Plinius lib. 3. cap. 3. Annius Viterbienſis in Commentarijs, alijque nonnulli. Cluſini, & Cluſentini, à Caſtro ad Montis Aluernæ radices poſito, Cluſium nomine, vulgò *Chiuſi*, dicti ſunt. Ad arma præcipites, igneo ſanguine fulgurantes, Cluſini. Diuites olim nunc tenues ob rixatus. Ante diluuium nemini diſplicet, fuiſſe Gigantes, abruptis his locis, feriſſimos incolas Aborigines poſtmodum Montes hoſce, præruptoſque tractus indigeni coluere. Quin & illi, quibus gentilica ſuperſtitio diuinos honores adſcripſit, Genij, regionem iſtam ſibi aſciſcentes, ad vſque Latium, Hetruriæque ſinum cultum ſuum protrahentes, propagatores Italiæ habiti ſunt. *Nam in quorum tutela locus eſt, in eo Dij Genij genuerunt Italiam. Quare amnis Tyberis, attingens Hetruriam & latium, ſolus locus eſt in tutela Deorum Geniorum Italię.* Hæc Annius in ſuis Commentarijs, ſuper Frag. M. Catonis.

Clasentinæ Vallis castra, & oppida. §. 3.

TOta Vallis Aluernæ olim consita castris erat; nūc rudera extant in arduis eductisque mōtibus Puppium autem Romena, Fatutium, Biblea, cum alijs integra perseuerant, est Puppium terra prima ria Casentini, *Poppium* à Romanis dicta Poppis enim, Annio teste, idem ac Puppis erat apud eos, & quia Puppis habet forma, Puppium, seu Poppium nūcuparunt. Municipium Romanorum, imò Colonia fuit Poppium, gaudebatque Latij priuilegijs atque Italię, iure autem Ciuium Romanorum ob strenuitatem Poppienses nobiles gaudebant. Comites Guidi Arcem Popij sedem sibi delegerunt potentissimi Proceres Castrorum plurium Casentini Domini. Guidus primus Comes Palatinus Octonis primi Augusti, patruelis, horum progenitor, & origo extitit. Qui Octone cum ipso in Italiam veniens, à saluberrimo Virginis partu anno 938. Mutillanæ Florentinæ Romaniæ ditione donatus, ob fortiter gestas res, PATER PATRIÆ à Rauennatibus dictus est. Gloriosè in Comitatu se gerens Guidus omnium sibi animos rapiebat, & oculos; donec puellæ vim intulit eius nepos, eamque sacra soluta zona turpauit. Tum siquidem igni, & sanguine, procelloso turbine cōcita Ciuitas, Guidi suorumq; cæde tantum facinus expiauit. Erat tum temporis Guidus secundus latitans Modillanæ, Superisque fauentibus patri superstitit, eiusque sanguinem vindicauit. Cum enim virilem attigisset ætatem, Saxoniam petens, ibique ingenti exercitu comparato, Rauennæ ingruit, & strage miserrima eiusce paterni Sanguinis vltor afflixit. Hinc æternum sibi nomen asciuit *Guidus Beuisangue*, sanguinem bibens.

Ab hoc genitus est Guidus 3. ab hoc Guidus 4. qui Florentissimam Vrbem Florentiam colens ab Octone

4. Im-

4. Imperatore, ſuo conſanguineo, magnis honoribus cumulatus Florentina Matrona ducta Poppij Batifolij, Montemignaij, Sancti Lorini, Portiani, Palatij, Romenæ, Prati veteris, aliarumque terrarum, & municipiorum vallis Cluſentinæ auctus dote, potentiſſimus Heros euaſit, pater Comitis Simonis, qui Sacrorum Stigmatum in Montis Labro proprio ære conſtruxit, vt ſuo loco fit ſermo. Poppium tandem nouis ædificijs illuſtrauit, cinxit mœnibus, & ad meliorem formam & ſtatum redegit in cuius rei monimentum, hoc ibi extat hactenus epitaphium.

Nomine dulceſco Puppium, quaſi puppa niteſco, dulcia do gratis; & rebus abundo beatis: Seruio Guidoni Comiti, Comitique Simoni, bis in communi Dominis famulabor & vni. Qui me deiectam: vera probitate refectam nunc retinent pacis lætæ gaudendo quiete.

Ad læuam portæ Ciuitatis legitur. *Anno Domini 1262. Indictione 4. die verò Dominico 4 Februarij exeuntis. Domini Comites Guido nouellus, & Simon fratres, & filij Dominę Comitis Guidonis, Dei gratia in Thuſcia Palatini, & Dominę Comitiſſæ Ioannę incipi fecerunt muros, & portas Caſtri Puppij.* Aduerſione indiget mœnia condidiſſe, non eſt intelligendum, illucuſque apertam fuiſſe Arcem Puppij, abſque ſepto, ſed refeciſſe Comites ipſos murorum ambitū, qui belli ſæuitia ſolo propè fuit æquatus. Idq; illa, *qui me deiectam, vera probitate* refectam, clariſſimè indicant verba.

Diſtat à Puppio milliario Abbatia Sancti Fidelis à Strumio ruderata; quæ olim Cluniacenſis ordinis ex inſignibus erat euerſaq; ab impio Rege Totila. Iacent eius intra ruinas oſſa B. Serui Andreæ de Strumio Valliſumbroſæ Monacus, qui in ipſo Monaſterio ſe ſe pœnitentiæ flagris edomuit, quieuit in pace. Nec longè eodem à loco protrahitur Auellanetum, vbi Seruus Dei Torrellus, Franciſcani Pœnitentium Ordinis, de

quo Seraphinus Razzi de Sanctis Thusciæ Illustrissimum præbet elogium, Anachorismum Sanctissimè colens, meritorum opulentia pollens quieuit in pace; cuius reliquiæ in Abbatiæ Puppiēsis Sacristia seruātur.

Prosequitur Vallis Aluernæ castra, & oppida. §. 4.

Biblena oppidum, seu terra, Casentinæ regionis Aluernam contra sita est, vt volunt aliqui, Passumæna olim dicta, varios belli euentus experta, laboresquè perpessa, non ingloriè reiecit hostem. Annibalis terrori non cedens, fortiter gessit, quum ipse Aretio, vbi Flaminius Consul aditum illi intercludere nitebatur, terga dedit, & Passumænæ tractui fulminans, Martio fremitu in circumstantia munimenta flamas euomuit. Habet quidem verisimilis non parum, Terram istam Passumænæ fuisse titulo decoratam: Nullibi enim Passumæna castrum, oppidumὶ, seu municipium aliquod inuenimus, quod illam esse conijci possit, nisi Biblena; quæ amœnitatem vallis summoperè peninsula continet potiorem: passusque amœnus est, Arni lactentia sugens vbèra. Peperit oppidum istud, omnium scientiarum. sed præcipuè diuinæ ac ciuilis sapientiæ studijs, celeberrimos homines; Cardinalem, Abbates, &c. vt latius in Chronico à nobis edito de hoc Monte.

Stya diuitijs olim afflua tellus, à stygia, perfluente illac amne vulgò la *stagia* sic dicta: Portianum Castrum, Romena polcherrima super arduum posita collem, Comitatus Vrbetij, Pratum vetus, Comitatus Chitignani, Vbertinorum Cómitum ditio, Rassina illustre oppidum, & alia quidem oppidula, nunc dierum extant. Quondam verò 300. prope castra munitissima Clusij vallls habebat.

De

De Valle Sancta, cui Mons Aluerna impendet. §. 5.

ASsurgit Apennini dorsum, Montefacchio nuncupatum ex Aluernæ montis aduerso in cuius clito Oratorium Sancti Onufrij, pertinens vnà cum sylua, ad Aluernæ Conuentum 3. vel 4. milliaria distantem. Extat spelęum ab incolis in veneratione habitum, eo quòd ibi Apostolus Barnabas, alias Ioseph leuites, quandoque fuerit commoratus. Traditio est antiquissima seniorum ad nos vsque deducta, quam sic facilè non arbitror contemnendam, quin Tertullianus contra Marcionem 2. cap. *de carne Christi*, & lib. 4. cap. 4. in eundem: Clemensq; Alexādrinus lib. 1. strommatum, consulantur. Eusebius ipsum referens 6. lib. Hist. cap. 11. ita fatur. *In libro quem de Paschate composuit, fatetur se a familiaribus suis cōpulsum, vt traditiones quas à veteribus Presbyteris accepißet literis proderet ad posteritatē.* Ambrosius de celebratione Paschę ait: *traditio est? nihil quęras amplius.* Volumē Sacrum: *interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi*: Lucas in Euang. *sicut tradiderunt nobis*. Quàm demum inexpugnabilis sit traditio scripturæ diuina, & humana testantur. Prædicauit Apostolus hàc proculdubio dum Roma in Galliam Cisalpinam transiret. Proditum enim est, imperante Nerone Romæ Barnabam affuisse, scriptoresque celebres, Liguriam atque Insubrium peragrasse contendunt: nec inficiatur Cęsar Baronius, An. Christi 51. num. 55. dum sic fatur. *Verùm ipsum in Italiam venisse, & in Liguria prędicasse Euangelium, nobilißimamque Mediolanensium Ecclesiam erexisse, ac longè lateq; Christi fidem feliciter propagasse; firmæ traditiones* (vides quàm potis traditio?) *eiusdem Ecclesiæ scriptorum testimonijs confirmata fidem certam, atque indubitatam faciunt.* Pende quæso mi lector, verba illa Baronij, *longè lateq; Christi fidem propagasse* non enim coarctat & limitat, quoad locum, Apostoli prædicationem;

ex quo alibi Ecclesiastem egisse liquet. Fauet sodalitium Puppiense S. Barnabæ consecratum, eius enim sub nomine ipsa confraternitas est erecta: monumentum næ huiusce rei fulciens fidem: quod quidem Saxo illi concauo, vbi traditur habitasse, suppetiatur. Vidimus hisce oculis peragrauimus hisce pedibus Vallē Sanctam, antroque venerabili genuflessionibus obsequuti, summum ibi fecimus sacrum. Perlustrauimus quoque Casentinam Vallem, terras & oppida transeuntes omnia quæ scribimus explorauimus. Vidimus pariter Aluernæ montem, & non solùm vidimus, sed ibi fuimus commorati, Patris nostri Reuerendiss. Generalis Benigni à Genua in Oratorio Stigmatum collocati; in quo solitudinis biennium duximus, Quadragesimam in Conuentu prædicauimus, quinque opuscula conscripsimus, vt otium falleremus, & tempus: Archiuium domus illius euoluimus, cunctaque monumenta rerum omnium antiquissima lectitauimus, montem vndique circuiuimus, speluncas, antra, petrarum scissuras in Christi morte factas explorauimus, perpendimus, contemplati, & venerati sumus. Nō igitur ex relatione quæ prodimus arbitreris emersa, sed proprio intuitu satis cognita, inquisita, peragrata, proprijsque manibus contrectata; exceptis tamen ijs, quæ superioribus sæculis euenere: ea namque fidelissimis è monumentis apto congesta volumine consecrauimus posteritati.

De eadem Valle Sancta. § 6.

VAllis hæc olim fatidicorum fuit oraculum, cuius rei monumentum, & si læsum, ad nos vsque seruat nomen *Fatutius*. A Fatua, Dea gentilia, Fauni, Aboriginum Regis, vxore: cuius templum creditur fuisse in monte ipso Fatutio. Genitor Faunus perhibetur Faunorum,

norum, Satyrorumque, Panum, & Syluanorum, qui rusticorum erant numina. Fatua autem Fauna quoq; dicta, quòd animantium vitæ faueret: Bona Dea, bonorum aduictum causa, Ops tandem vocata, quòd ipsius ope vita constaret. Vallis igitur hæc Sancta vocatur à Sanctorum ibi degentium incolatu. Si quidem, & Ecclesię nascentis exordio, quum in Christi membra Tyranni sęuiere, & Fidei propagatæ temporibus montes vallesque istę Sanctorum Martyrum, & Confessorum Christi fuere latibula; Nec est à ratione peregrinum, eremos hasce fragosas, & inuias Anachoretarum habitacula extitisse. Montes Pisani Secessicolis Sacrosancti, referti erant nemoritarum, quos Diuus Augustinus Mediolano in Africam rediens, anno salutis 392. visitauit. Similiter hęc per iuga solitarij multi degebant; Ex ijs fuit Onufrius, qui in Saxo Apostoli Barnabæ Anachoriticam vitam duxit, in cunctis Onufrium Sanctum imitans: nec dubito fuisse Italum Eremitam ipsum, qvem Sanctum Onufrium vocant, more vulgi, quod, etsi Ecclesia honores ei cęlestes minimè dederit, Sanctum appellat quemquam, cum odore Sanctimonię decedentem. Petunt quotannis Religiosi Conuentus Aluernæ Vallem Sanctam ex antiquissima consuetudine S. Barnabæ, ad eius festum in Oratorio illo celebrandum; quod non modicum robur confert traditionis veritati, illuc nimirum Apostolum accessisse. Prædicauit Romæ, primusquè fuit Mediolanensis Ecclesiæ Præsul: vt ex multis habemus, inter quos Clemens Romanus Pontifex, lib. 1. Recognitionum, & Dorotheus Episcopus Tyri, in Synopsi, pietatem hanc firmant.

De

De castro Clusii. § 7.

AD radices Angelici montis Aluernæ, super collem, milliaris unius spatio distans, Clusium castrum situm est; quod Annius Viterbiensis in Fragmentis Catonianis, *Clusium nouum transitus Annibalis, vocat.* Est enim aliud Clusium, antiqua videlicet Ætruriæ Ciuitas apud Glanim fluuium, arduo & excelso imposita monte, olim Comers dicta, Porsennæ Regis Ætruriæ sedes, vnaque ex xij. Colonijs Hetruscorum; celebrior facta Sancti Irenęi Diaconi Martyrio sub Aurelio Cęsare: ad cuius differentiam, *Clusium nouum,* de quo sermo vocatum est, à Romanis, qui castrum id condidere circa annum mundi 3748. Carthaginensium Romam viæ repagulum.

Dominus huius Castri fuit bonæ memoriæ Orlādus Catani qui Aluerna B. Franciscum donauit monte; sępiusque suscepit hospitio. Quin & abrogato filijs comitatu, Pęnitentium ordinem ingressus, parentis almi ipsius manibus indutus est habitu, in quo feliciter, & laudabiliter perseuerans, fati munus impleuit; iacet in Ecclesia Beatæ Mariæ Angelorum eiusdem Sacri Mōtis. Hunc Fabianus, & Hugelinus in Speculo Vrlandum vocant. Habetur in Archiuio huius Conuentus instrumentum peruetustum, sub anno Domini 1274. per Petrum Ioannem Notarium de Burgo Campi, in quo Orlandus, Cungius, Bandinus, & Guillelminus fratres, Orlandi Comitis filij astipulati sunt Seraphinæ vxori Cungij dotis cautionem. Videas Chronicon Montis Aluernæ Thusco à nobis sermone conscriptū lib. 1. cap. 5. vbi diffusè de ijs. Iacent ruderata omnia Clusij ędificia castri, porta superstite cum septi reliquijs adhuc stantibus. Appendices autem vsque ad 40. casulas ruinosas, circa fluuium Raffinam, habitatas vidimus. Ibi residet Potestas, iudex ordinarius ad ciuilia,

pro

pro Magno Duce Thusciæ, cuius est ditio Clusentina: ad criminalia siquidem iudex, qui Vicarius nuncupatur in oppido Plebis Sancti Stephani residentiam habet. Illustris quidem locus Clusium, tum ob Seraphici Patriarchæ Francisci hospitij frequentiam, tum res ob gestas fortiter, & gloriosè à Romanis in ipso aduersus Annibalem, cum tandem ob Michaelis Angeli Buonarota Florentini, Sculptoris celeberrimi pictoris heroici, Architecti egregij, natalitium. Feta namque mater Florentia veniens ibi enixa est tantum virum.

De Planctu magno Monte: § 8.

EStin secessu ad Africum imminens Valli, mons editissimus, vulgò *Prato Magno*, læso vocabulo, Planctus Magnus ita tum temporis appellatus, quo impio Totila Aretium deuastãte, ac demoliente, ciuium, & confinium paganorum multitudo, summitatem, vt in tuto esset montis huiusce conscendens, vrbemque aspectans fumoso incendio caligantem, cœlumque audiens vlulatuum chao resultans, planctum edidit magnum, æternumque nomen contulit *Planctus Magnus*. Scatet iugum gelidissimo latice; sed mirandum, quòd haustus, & in vase in optimi vini colorem saporemque suos innatos permutet extemplo.

De lacu montis Aluernæ. §. 9.

IN montis visceribus cauernosus lacus est, ex quo præcipites nouem erumpunt fontes. Profunditas ingens in concauo; voluereque accensis ingredi facibus curiosi; nequicquam nisi ad lacus intuitum peruenire, formidanda enim penetralia sunt, & inaccessibilis est crepido. Aditus est Clusium versus; inuitatiq; fuimus ad intrandum; abnuimus. Vocant incolæ cauum illud


illud Saxum per quod introitur: *La bucca del Diauolo*. Vide quàm merito iure abnuimus Diaboli fauces intrare scatet vndequaque Aluernia regio, castris & oppidis, caulis, magalibus, casulis, & tugurijs. Ad Boreā, & Zephyri habet oppida, Sarna, Hama, Crucem, vulgò *la Croce*, Montefatutio, aliosq; viculos. Ad Austrum, Chitignanum, Rassinam, Vezzanum, Taenam, Ruosinam, Fognanum, Soluthyum patria Serui Dei eximij Bartholomęi Petram &c.

De fontibus erumpentibus à Lauerna. §. 10.

NOuem sunt fontes qui à Monte Aluerna scaturiunt circumquaque Rasynellus, vulgò *la Rasinella*. Rasinalis, vulgò *la Fonte di Chiusi*; qui cœteris vehementior, à cauda Montis erumpit. Hi Rasinam fluuiū gignunt, magnoque impetu exiens Rasinalis inundat, & stagnat, vnde amnis ipse Rasyna per Floreste, & Archippi radices progreditur. Tertius fons est Tubus, vulgò il *Doccione*; hunc subterraneo ductu Comes Orlandus ad irriganda pomęria, viretumque direxit. Erant pomęria, eiusque horti subter Arcem Clusij, in planicie, lęso vocabulo *Arbetta* seu, *Alberetta* dicta, prò *Arboretum*. Quintus fons, est *la Fonte di S. Francesco*, in platea diuersorij Peregrinorum, secus viam in ascensu Montis. Fons hic omnibus excellentior est, biberunt enim ex eo Sancti multi; Seraphicus Franciscus cum socijs suis, ex ipso hauriebant aquam; B. Antonius de Padua, Bonauentura Seraphicus; Bernardinus, Capistranus, quinque Martyres Marrochiorum, & quotquot Aluerniam accesserunt Sancti fontem ipsum eorum præsentia sanctificarunt. Aquilegia cum non essent conuentui ex hoc fonte aquam vti propiore sumebant. O quoties pusillus grex cum miti Pastore hàc circumsedit, & gratiarum cum actione combibit?

Quo-

Quoties, oh quoties, &c. Sextus est Caballinus, vulgò *la Cauallaia*. Septimus, fons hospitij, *la fonte dell'Ospedale* ibi enim olim hospitium fuit. Octauus, fons Christi, vulgò, *del mal passo*, iuxta locum, quem *la bocca del vento* vocant. Nonus est fons lupi, *la fonte del lupo*. Est igitur circumfluus omnis Aluerna fontibus nouem, Angelorum referentibus totidem choros. Siquidem (vt suo loco fit sermo) *Mons Angelorum* est; eoque titulo à septem Episcopis, qui totum montem vnda lustali expiantes circuiere: necnon ab Angelo Sacerdoti in altari apparente, decoratus, & insignitus est.



ALVERNÆ.

Nomenclatio Montis eiusque ratio. Cap. 2.

SAnctus hic vertex, quemadmodum admirabilium rerum mysterijs, ita & nominum scatet armillis. Nicolaus 4. Alexander 4. Martinus 5. Bonifatius 9. Innocentius 8. Iordanus Cardinalis, Doctor Seraphicus, Tres Socij B. Francisci FF. Fabianus, & Hugelinus coęui Diuo, in Speculo, Magister Conform. Rodulphus Gonzaga, Marcus Vlysiponensis, & Matthęus Episcopi, vocant. *Aluerna*. Congruè sanè, Francisci Regia Aluerna dicta Franci Aruerni, vt Stephanus, Strabo alijque memorant, celebres, acresque bello fuerunt: vnde nominis cognatione finitimi, Aluernęis Aruerni Seraphicis Martibus coumbrarunt. Alex. idem 4. Ioannes 23. Diuus Antoninus 3. par. Hist. cap. 1. S. Bernardinus tom. 4. Polydorus Virgilius, de inuen. rerum, lib. 7. Martyrol. Rom. & alij dicunt, *Auerna*. Erat nęc Auerna olim, Auęrnusque laculus dici poterat,

rat, intus elitens: quandoquidem idolorum lucus, & ara fuit. Baronius, Alex. 4. Ioan. 22. & alij, *Aluernis*, nuncupant. Plutarcus, Sabellicus, Horatius, 1. epist. ad Quintium, Plautus, Lucilius, Varro, Gregorius Ferrariensis, Syntag. 1. Baptista Mantuanus Fast. 5. *Lauerna*, & ij magis propriè. Alij *Verna, Vernia, Auernia, Auerna*: alij demum, *Monte delas llagas; delle Stimmate di S. Francesco &c.* ad similitudinem Sanctę Ciuitatis, quę nominum varietate decorata Ierusalem, Solyma, Hierosolyma, Salem, Sion, Vrbs, Ciuitas Regia, Sacerdotalis per omnium gentium ora currebat. Ad morem pariter Montis rosei, atque purpurei Sacrosancti: Diu nam Moria, dehinc Golgotha, inde Caluaria, subinde Caluarius Mons est dictus. Pulchrè igitur tot nominum varietate se gerit, quidam enim Caluarius Mysticus est, eoque vocabulo à multis offendimus insignitum.

An Lauerna sit proprium nomen, & quare. §. 1.

LAuerna est nomen proprium Sacro Monti, á Dea Gentilium sic vocata; de qua Plautus in Aul. *ita*, inquit, *bene me amet Lauerna*: Ausonius, *pulchra Lauerna da mihi fallere*. Pluresque Lauernam prisci, produnt memoriæ furum Deam. Festus magnificum illi templum ad portam Lauernalem adscribit; Acron in via Salaria Phanum adstruit, subiungens à lauacro sic nominari: nam cultores Lauernæ priusquam Phani limina penetrarent eluebantur: vnde Lauerniones, lauatoresque dicti Lauernæ cultores intelligebantur.

Romani ergo, Thuscię Domini, patrijs illuc dijs illatis, eò quod passim loca fatidica meditabantur Etrusci sibi lucos, & nemora vendicantes ipsi quoque Dęmonum suorum tentoria figere nitebantur. Vnde cum alibi struxissent delubra, hic etiam Lauernę templum, & aram Lauerniones erexere; hoc & in luco Sacra fiebant

bant lauernalia; donis & votis noctu illuc raptoribus, horumquè asperrimorum montium grassatoribus facto agmine confluentibus. Lauernus itaque Larua suã hìc habuit Regiam quousque mortalibus per aduentum Iesu Christi ęterni Dei, ęternique Patris filij, veritatis felicissimus dies illuxit; Tunc Lauerna formidabilis Eumenidum sylua, in iucundu m, verquè cęleste roseum vernantibus spatijsque florentibus, paradisum versa est genialem. *Primauera*, vocant montem hunc multi, verquè pulcherrimum Angelorum. *Sanè, o dilecti filij, celebrem illum vernantis Aluernæ mõtis, in quo sublimatum corpus à sublimiori animo non dissentit.* Hęc Alex. 4. in literis, *si nouæ militiæ* Guillelmus Aretinus Antistes, in literis, anno 1256. *Locum montis Aluerniæ diuina munificentia plus vernantibus miraculis, quàm floribus venustatum.* Ver miraculorum ait Aluernam esse: Adstipulatur Neotericus quidam, in tractatu Arboris S. Francisci, canens. *Di quel gran Monte intendo, Oue Borea neuoso Di fuor mai sempre Verna Ma lo spirto soprano Dentro v'adduce Primauera eterna.* Raptorum vilium eras igitur, ò Lauerna? Nobilium nunc dierum es, qui rapiunt cœlum, locus.

Melior de Lauerna sententia. §. 2.

ACęteris auius Acron pergit, non rapturę quidem, sed Secretorum Deam fuisse Lauernam, eiusque cultores eò dici latrones, quòd summo silentio velut furtum res tenerent. Subscribit Gregorius Ferrariensis, de *Dijs gentium Syntag.* 1. alijque nostratis ętatis, arcanorum Deam ipsam tali conspicuam nomine, quia pectore premere profitebantur, eius cultui mancipati, quod semel à fido reticent ę fuerat consecratum. Lauernę igitur mons, Secretorum est locus: ita planè. Secreta mirifica reuelauit Patriarchę Seraphico Christus Dominus, cum ei Passionis suę sanctissimę contulit


B stig-

ſtigmata. *Licèt aliàs dicere ſolitus eſſet, ſecretum meum mihi: tunc tamen cum multo timore ſeriem retulit viſionis præfatæ; addens quòd is qui ſibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ nunquam dum viueret alicui hominum aperiret*; fatur Bonauentura in legenda B. Franc. cap. 13.

Latrones per detractionem, e, dicebantur antiquitus ij, qui Principis latera claudebant, à nomine, Latus, lateris, Laterones, quaſi laterales, per ſyncopā, latrones, teſte Varrone. Latro, ſeu Latero magni Principis Franciſcus, ideſt legatus à latere Ieſu Chriſti. Ita eum vocat Gregorius IX. apud Theologum Conformitatum, lib. 1. fruc. 2. in proſa quam edidit, in laudem B. Franciſci, dicens.

Caput Draconis vltimum
Vltorem ferens gladium,
Aduersùs Dei populum
Excitat bellum ſeptimum:
Contra Cœlum erigitur,
Et nititur attrahere
Maximam partem ſyderum.
Ad damnatorum numerum;
Verùm de Chriſti latere
Nouus legatus mittitur,
In cuius ſacro corpore
Vexillum Crucis cernitur.
Franciſcus Princeps inclytus,
Signum Regale baiulat,
Et celebrat concilium
Per cuncta mundi climata.

Vides candidè quā aptè Latro ſeu Latero eſt Franciſcus? Lauerna igitur tali tantoque bene congruit Lateroni.



RRecensct Aluerna Crucis mysteria; ad ea siquidem recensenda creatus est, eoquè re satis vera mirum est, vt situ, sacrificio, nomine, forma, & positione Crucem referat; vt ijs quæ subdimus elucescit.

Refert Crucem situ. Cap. 3.

EX qualitate, locique positione liquet Aluerniç Montem istum Crucis imaginem prçseferre. Crux enim in medio terrç fixa est, vt Cosmographi, Geographique tradunt; resque admodum celebrata proditur, Ierusalem esse in medio terrç, mediumque Golgothç montis cauo, vbi Crux substitit, circumscriptum, perhibent Decumani, & literis & probitate Viri. Quin & Psaltes Regius, *operatus est salutem in medio terræ* vaticinatus est psal. 73. Quin etiam is ipse qui fecit eam, per Ezechiel ait. *Ista Ierusalem in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras*. Vbi Hieronymus, *Ierusalem*, inquit, *in medio mundi sitam, hic idem Propheta testatur, vmbilicum terræ esse demonstrans*. Adstipulatur Iosephus de Bello Iudaico lib. 3. cap. 2. subscribit Victorinus Pictauiensis, de locis Sanctis, cap. 3. edit carmen.

Est locus ex omni medium quem credimus, orbe
Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt.

Mons Aluerna in vmbilico Italiç situs est, vt patet ex eo quod Plinius, & Varro scribunt, Vmbriam cor Italiç; Aluerna à multis Auctoribus in Vmbria collocatur. Ierusalem mysticè, quoque dicitur; quia quod ibi actum hic renouatum est. *Mons ille est* ait Rodulphus in Historia Seraphica, *velut altera Ierusalem*. Car-


dinalis Mōtaltus, quum Sanctum Montem cum effusione lachrimarum inuisit, *vn'altra Gerusalem è questa*, clamauit. Idemque Sixtus V. oraculo vocis, ex prompsit. Hierusalem vallibus cingitur, Iosaphat inter Vrbem, & Oliuetum iacens. Valle Siloe ad Zephyrum: Valle Gion à parte occidua, portam versus Ramę: Valle Rafaim, Gigantum scilicet, à Septemptrione ad Austrum. Aluerna cincta est vallibus. Caluana ad Orientem, Valle Sancta, ad Septemptrionem, Casentina ad Occidentem, Valle Clusij noui ad Austrum. Quatuor hę valles quadrum formant, in cuius medio se tollit Aluerna: quadrus autem Crucem continet, quacunque vertatur effige Crux est. Ecce quomodo recenset, & refert Crucem.

Hierusalem fontes circum habebat, Iosepho lib. 6. cap. 11. teste. Siloe maximè celebris erat aquę virtute, & salubritate: oculis enim, vt scribit Bartholomęus Salignacus in descrip. Terr. San. medetur: cuius gratia adhuc paganis est pretiosa aqua illa; quę à Sion Montis radice manat. Aluerna quot scateat, patuit, fontibus, omnesque ad Montis radices profluunt. Ast ille, quem vulgus, *la fonte di S. Francesco*, vocat, Beati Patris meritis & intercessione, salubris est oculis, atque morbis. Hierusalem locum habet nomine Mello: *ædificauit Mello*: 3. Reg. 9. Aluerna quoque in se continet locum *Mellos*, corruptè *Mellosa*. Hierusalem habebat sibi contiguum Montē Caluarium; Aluerna habet contiguum Montem Caluanum, proximum quidem Caluario nominis ergò. Hierusalem, Ieronimo de locis Hebraicis, Adricomio in descrip. Terrę Sanctę num. 180. 181. alijsque testibus, castellum exile habuit, propè muros, de quo Dominus *ite in castellum, quod contra vos est*. (Non enim erat vt falsò creditum, castrum hoc Ierosolyma) Aluerna en quàm propè castellum habet Orlandi, scilicet Clusium. Iuxta Ciuitatem erat *Hortus conclusus*; iuxta

iuxta quoque Aluernam est *Chiusi*, ideſt concluſus locus, vbi erat hortus concluſus Vrlandi; cuius adhuc arborum atque ſitus extant reliquię, vbi Arbetta, vocant, viuariumque vberrimè defluit. Ex aduerſo Ieruſalē erat *Sylua Planctus*, de qua Ioſephus lib. *Antiq.* Aluernę *Planctus magnus* adiacet, de quo ſupra. Tandem in Ieroſolyma erant habitacula, & domicilia Rechabitarũ, qui iuxta parentis inſtitutum in ſumma paupertate degebant, abſque prędijs, abſque diuitijs, & bonis fortunę, tanquam peregrini, & aduenę, vt adnotauit Chriſtianus Adricomius num. 131. In Aluerna Rechabitę veri habitant fratres Minores; qui abſque prędijs, & bonis fortunę, iuxta Patris inſtitutum, viuunt in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate, *ſicut peregrini, & aduenæ in hoc mundo.* De illa Ieruſalem apud Iſaiam legitur: *conculcabit eam pes; pedes pauperis, greſſus egenorum.* De hac dici poteſt, quandoquidem Egeni Minores inhabitant. Quin & illam quoque in pręſentiarum, ab hinc ſęculis retroactis, *conculcat pes, pedes pauperum, greſſus Egenorum.* Si quidem Fratres Minores habent Sãctam Ciuitatem Ieruſalem, & Aluernam: vtramque conculcant pedes eorum. Vides amice, qualiter Aluerna ſimilis Ieruſalem ſitu referat Crucem, eiuſque myſteria ſic recenſeat?

Sacrificio. §. I.

MONS Caluarię Sacrificij locus: ibi enim figuratiuum, & figuratum holocauſtum Iſaac, & Chriſti Domini litatum eſt. Enim verò comet loco crucifixus eſt, quo Abraham ad immolandum filium altare conſtruxit. *Hieronymus Presbyter ſcripſit, ab antiquis & ſenioribus Iudæis ſe certiſsimè cognouiſſe, quòd ibi immolatus ſit Iſaac, vbi poſtea crucifixus eſt Chriſtus. Denique ab eo loco vnde Abraham iuſſus eſt proficiſci, tertiò die ad locum vbi Chriſtus*



crucifixus est peruenitur. Sunt Augustini serm. 71. de tẽp. *In loco autem illo, quo Abraham altare ad immolandum filium, construxit, mensa est lignea non parua, in quam pauperum eleemosynę solent à populo deferri;* Sunt Bedę verba de locis Sãctis, cap. 2. agentis de Caluario. Mons Aluerna locus est, vbi alter Isaac figurauit cruentum illud sacrificium in mundi expiationem à Christo Patri oblatum. Franciscus nimirum qui, non vt Isaac futurum, sed pręteritum Passionis mysterium reprę sentauit, rememorauit, & Fidelium cordibus intimauit. Sacrificij species cur non erit, offerri se Deo manibus, pedibus, atquè latere fauciatum? Sacrificium Deo gratum est, Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum. Hęc omnia deprehendimus in Francisco, spiritus contribulatus ob mundi scelera, cor contritum, & humiliatum, in conspectu Seraphini, scilicet Christi, qui in illa forma sibi vulnera daturus apparuit. Vides quomodo Aluerna Crucis Christi mysteria mons recenset?

Nomine. § 4.

NOmen Apennini, in cuius dorso Aluerna situs est mons, Crucis Christi recenset Mysterium. Apenninus enim Apis a nomine Regis Italię, Annij aliorumquè sententia, nuncupatur. Multi Ægyptium perhibent Regem, plures autem non Regem sed solummodò testantur Idolum, ijque meliùs. Erat Apis Ægyptii populi is ipse, qui Serapis, Crucifixi effigiem pręseferens, in suo pectore graphicam gerens Crucem, Petri Mexię lib. 1. cap. 3. & Clementis Alexandrini Cartharij, & Iacobus Gretzerus lib. 1. de Cruce cap. 51. ex Rufino, Socrate, & Sozomeno confirmat Serapidis pectori Ægyptios scribere Taù quasi signum vitę. Fuit autem idolum Apis, vel Serapis, figura Christi, vt ait Goropius. Siquidem Prouidentia summa Dei Optimi

Ma-

Maximi Ethnicam gentem Sibyllarum oraculis, multisque portentis, pręmonefactam habere voluit, sicut Hebręos Scripturis, figuris, & vaticinijs Prophetarum, de aduentu filij sui in mundum, eiusceque Passione, & morte. Nil igitur mirum, quòd in Idolo Ape, iunctis tibijs; extensisque ex alto pariete expansis populo manibus impēderet. Ab hoc igitur Crucifixo Ape Apenninus euasit. Rex Italię, prius Ægypti, vbi eius ob clarè gesta facinora diuinis extitit honoribus insignitus. In Apennino, Crucifixi Apis monte Crucifixus apparuit Iesus, Crucisque murenulis Seruum suum Franciscum gloriosissimis decorauit. Ecce originario nomine, *Crucis Christi Mons Aluernæ recenset mysteria*. Crucis erat, & Crucis est iugum.

Nomine § 5.

TAurinę illi Ciuitati Syndonem pretiosissimam scimus inesse effigie Saluatoris nostri diuinitus impressa; Taurinę huic Thuscię pretiosam aliam Dei Bonitas Passionis Christi signis impressam contulit Syndonem. Diximus Apim Regem, Apennino nomē dedisse; dicamus nunc qualiter ipsa quoque Italiam, seu Thusciam, vt placet multis *Taurinæ* titulo nomenclarit. Antiochus Syracusanus, referente Annio, *Apis* idem esse ac *Taurus*, latiè tradit. Hinc Taurina dictam fuisse adstruunt Anniani pedisequi, pluresque alii scriptores, Italiam totam. Eccere Syndon Taurinę, B. Francisci corpus quinque illis fulgentissimis cœli carbunculis radiosum. Agens Pater Anselmus de magnifica, & mirifica mundi opificij machina, cap. 27. ait: in fronte signi cœlestis, *Tauri*, quinque stellas, nomine *Hyades* pellucere: *sunt aliæ stellę, quæ dicuntur Hyades, quasi pluuiales, latinè dicuntur succulæ à succo; sunt quinque stellæ in*

fronte Tauri. Hæc ille. Plinius quoque Succulas vocat. Codrus afferit esse 7. totidemque Textor. Aluerna Taurina est, quia Apennina, idem enim est Apis ac Taurus; congruunt igitur quinque stellæ, Christi vide. licet stigmata, virtutis & gratiæ pluuiales Hyades, in huiusmodi fronte Tauri. Thuscia sola, vt volunt multi, vocata est *Taurina*, Regia siquidem Apis Hetruria fuit; ecce qualiter *Crucis Christi Mons Aluernę recenset mysteria.*

Ioannes Bohemus Aubanus Teutonicus in tractatu *omniū gentium mores, & leges*, lib. 3. cap. 9. loquens de Italia, ait: *in formam Crucis; inter Adriaticum, & Thuscum mare iacens, ab Alpium iugis, & Apennini porrecta; se paulatim tamen ad Rhegium vsque attollens verticem, & littora Brutiorum in vltimo sui, in duo cornua scinditur, quorum alterum Ionium spectat mare, alterum Siculum.* Ab Apennino incipit forma Crucis Italiæ; quæ in Crucis forma posita est? à Thuscia ab Apennino porrigitur Crux? En Thuscia; ecce Apenninus Aluerna. Pes Crucis huiusce porrecta est ab Apennino, totusque stipes ipsius Crucis dirigitur ad Rhegium vsque, & littora Brutiorum, ibique brachia Crucis extenduntur, vt cornua? Ecce Aluerna, Apennini decus basis, & firmamentum Italię Crucis? Liquet planè; quandoquidem ipsius Crucis stipes inde progreditur, ibi sistit Crux ipsa. Quàm bene quàm pulchrè, *Crucis Christi mons Aluerna recenset Mysteria?*

Forma. §. 6.

CHronista Seraphicus, in Pathmos Insula Sanctam Ciuitatem vidit in quadro positam: *Ciuitas in quadro posita est, & habebat murum magnum, & altum habentem portas duodecim, & in portis Angelos duodecim, & nomina in scripta, quæ sunt nomina 12. tribuum filiorum Israel.* Apoc. 21.

Aluer-


Aluerna mystica quædam Ierusalemcula est, eaque in quadra, posita forma; habet enim quadri lateram figuram, vt in libro *Monte Serafico della Verna*, lib. 1. cap. 2. meminimus, & ex Dialogis Montis patet. Quadra autem forma, quocumque vertatur modo Crucem præfert. *En Crucis Christi mons Aluernæ recenset mysteria*. Duodecim portas illa, hęc totidem habet intra se montes, qui aditum prębent ad Apostolicum duodenarium contemplandum, siue ad 12. Fidei articulos seu, fructus Spiritus Sancti, vel demum ad ipsasmet 12. portas vitę anhelandum. Angelos 12. habet Aluerna, duodecim scilicet seruos Dei, Beati Francisci discipulos, qui omnes miraculis, diuinis laudibus, extasibus, atque raptibus illustrarunt. B. Franciscus est primus Angelus, habens signum Dei viui Apoc. 7. Bernardus Assisias est 2. Petrus Cathani 3. Ægydius 4. Moricus 5. Iuniperus 6. Massæus 7. Ruffinus 8. Pacificus 9. Angelus de Reate 10. Leo 11. Syluester 12. Hinc, & Crux: Ductis enim in quadro ternarijs quatuor Crucem habes; latera Montis singula, tribus construens portis: ad Orientem portas tres, ad Occidentem portas tres, ad Meridiem portas tres, ad Septemptrionem portas tres constituens; Et ecce *Crucis Christi mons Aluerna recenset mysteria*.

Positione. §. 7.

ALuernę latera flumina quatuor vtrinque circumfluunt Tyber scilicet ad Orientem: Arnus, ad Occidentem: Razenus ad Meridiem: Corsolvon, ad Septemptrionem; Tyber & Arnus Regales fluuij; alius quidem almam perluit Vrbem, serpensque latijs campis, mare bicornis aggreditur; salsasque super enatans vndas ostia proluit. Alter verò rapidis, concitisque amnibus duo fere stadia per centena tributarijs opulętum, Florentiā bellam, & pretiosam, Pisasque medias

peragrans,

peragrans, Tyrrheno se miscet. Razenus autem, à Razena Rege Vetuloniense sic dictus, à fontibus Clusino, & Rasinella, sub Montis gignitur fimbrijs Razena qui & Cranus, Noë filius a scriptoribus perhibetur; isque Vetulonię regno succedens, non modò ipsi, verùm & Thuscię quoque nomen effinxit: Razeni idcircò appellati sunt Thusci quandoque, Dionysio Halycarnasſęo lib. 1. Antiquit. Myrsillo, & Annio, quęst. 8. de Thuscia testibus. Prędia quippe Rex his in partibus habebat insignia (vt adductis placet Viris) quorum gratia Regium locus idem sortitus est nomen. Arno prociduum ferens censum offluit amnis iste; paremq; tribuens fructum Corsolyon Arno eidem se proripit, Aluernę spumeus astrans talaria, Boream versus. Stat igitur Sacer Mons in media quatuor amnium Cruce; quandoquidem Tyber, qui & Albula ad Orientem, Arnus ad Occasum (hi velut à Monte qui Falterona dicitur oriundi, aliquantula inter se distantia prorumpentes) Corsolyon ad Aquilonem, Razenus (vulgò la Rassina) cingunt illum. Ecce *Mons Aluernæ recenset mysteria.* Verùm enim verò stigmatum ergò veriùs eadem refert mysteria. Quin etiam & hiatuum, & mirabilium rupium scissurarum in morte Christi vt suo loco diffusius, effectorum, magis magisque Crucis Christi recenset mysteria.



DAN·

DANTVR PRIVILEGIA.

Franciscus donatur Aluerna, Lib. 2. Cap. 1.

IEſu Chriſti fideliſſimus Seruus, & amicus Franciſcus, quia Creatorem, & Saluatorem ſuum totis, quibus poterat (hęc ſunt Speculi verba met ipſa) niſibus per ſe, & per alios honorabat, ideo gratioſiſſimus, & benigniſſimus Saluator noſter Dominus Ieſus Chriſtus honoris vicem honoranti rependebat, quia, *qui glorificauerit me glorificabo illum*, dixit Dominus. Et propterea quocumque ibat S. Franciſcus in tanta veneratione habebatur ab omnibus, quòd quaſi totus ad Virum tam mirabilem populus confluebat. Vnde quando appropinquabat ad terras, aut caſtra aut villas, beatum ſe reputabat qui eum videre poſſet, vel tangere. Accidit autem, quod B. Franciſcus de Vallè Spoletana recedens in Romandiolam pergeret. In ipſo autem itinere cum ad quoddam caſtrum Montis Ferrei (aliàs Mōtis Feltri(perueniſſet, celebrabatur ibidem magna militiæ nouæ ſolemnitas. Quod cum didiciſſet B. Franciſcus, Fratri Leoni ſocio ſuo dixit: *eamus ad iſtos, quia cum adiutorio Dei, inter eos aliquem fructum, & profectum faciemus.* In dicta verò ſolemnitate erant multi nobiles de diuerſis partibus cōgregati, inter quos erat de Thuſcia Dominus Vrlandus(aliàs Orlandus) nomine, valde diues, & nobilis; qui propter miranda, quę de Sancto Franciſco audierat, magnam ad ipſum deuotionem conceperat, eumque videre, & audire maximè cupiebat, Sanctus Franciſcus cum pręlibatum caſtrum intraſſet,

trasset, vt commodiùs à multitudine audiretur, super quemdam murum ascendit, & inde statim multitudini prædicauit; & pro themate hoc proposuit in vulgari. *Tanto grand' è'l ben ch'aspetto, che ogni pena m'è diletto.* Tã magnum est bonum, quod expecto, quòd omnis pęna mihi est delectatio. Et super hæc verba tam deuotè, diuersa eloquia per linguam eius eructauit Spiritus Sanctus, probando scilicet illa per pœnas Martyrum, Apostolorum Martyria, & duras pœnitentias Confessorum, multasque tribulationes Sanctorum, & Sanctarum, quòd omnes admirabantur, quasi Angelum attendentes. Inter quos Dominus Vrlandus prędictus, gauisus de obtenta S. Francisci pręsentia, tactusque illius prędicatione mirifica, proposuit omnino cum Sãcto Patre de animę suę salute tractare. Vnde prędicatione finita dixit S. Francisco. *Pater ego aliqua vellem tecum de salute animæ meæ ordinare.* S. Franciscus totus discretionis sale conditus dixit. *Domine, vade hoc mane, & honora amicos, qui te inuitauerunt ad festum, & postea loquemur quantumcumque volueris.* Ille assentiens, sumpto prandio, rediit, & cum Sancto Francisco de salute animę suę plenè ordinauit; & in fine dixit S. Francisco: *Ego habeo vnum montem in Thuscia deuotissimũ, & solitarium valde, qui vocatur mons Aluernę, valde aptus his, qui solitariam vitam desiderant ducere. Si tibi & tuis socijs Mons ille placuerit, libentissimè pro salute animæ meæ vobis donarem.* S. Fran. qui affectuosissimè desiderabat loca solitaria inuenire, vbi posset diuinę contemplationi commodiùs vacare, audita oblatione pręfata, primò referens laudem Deo, qui per suos Fideles prouidet suis ouiculis, deinde gratias agendo Deo, & Domino Vrlando, ita respondit. *Cum redieritis in partibus vestris, ego mittam ad vos de socijs meis, & vos montem demonstrabitis eis, & si aptus videbitur eleemosynam vestram acceptabo. Prædictus autem Dominus habitabat in suo Castello prope montem Aluerna &c.* Hęc sunt verba

verba sociorum S. Francisci, fratrum Fabiani, & Hugelini; habenturque *in Speculo S. Francisci*, & in *Antiquitatibus Franciscanis*, *centuria 2. cap. 9.* Scripserunt alij tres socij eius historiam, quæ iam perijt; in antiquis tamen Montis Dialogis plura ex illis transcripta deprehendimus. Accidit hoc Incarnationis Iesu Christi anno 1213. quo B. Franciscus in Hispaniam profectus est, ad visitandum Sancti Apostoli corpus. Laborabat tum temporis Hispania magna fame, bellorum incendijs flagrans, Alphonso 3. Rege, qui vt Bardi, & alij referũt. in armis occubuit; allucinantur tamen; Phylantes enim grauissimus heros in historiam Regum Hispaniæ, de Mauris amplissimam victoriam reportauit recitaturquè in officio Hispanorum, & 28. annos natus in pace quieuit Refert Camaldulensis Bardi ipse in Hispania visas fuisse. flammeas Cruces in aere sub anni 1212. calcem. Ast eæ B. Francisco Hispaniam ingrediente, apparuerunt: non enim desunt qui discessum ipsius Sancti constituant, anno 1212. quod verius pendimus: vnde optimè congruit tempus, quo scribit Hieronymus ipse Bardi Camaldulensis, visas fuisse igneas Cruces in Hispania, quo B. Franciscus ingressus est eam: & vt in Chronico vulgari diffusius actum est, Cruces istæ ad introitum Signiferi Crucis Christi in Hispaniam visæ sunt in cœlo. Peruenit Guetensem vrbem (quæ à riuulo qui illac perfluit, nomine *Guet*, Arabica lingua, *rio perquenno* paruulus riuulus) ibique hospitium, vbi nunc Conuentus, extat & sacellum, cũ vetustissima S. Francisci effigie sculptili Seraphica eius præsentia consecrauit; indequè prosequens iter, Hispaniam penetrauit. Scripsit Ilerda Morellano populo Epistolam B. Franciscus, quæ diu in Archiuio publico seruata, eo flammis absumpto, extincta est. Biennij ac dimidij in Hispania ductis moris (sed si verus est, iuxta alios, discessus eius anno 1212. vt nobis est verior 4. an-

nos

nos ibi cum dimidio versatus est;) repatriauit, Italiam rediens; anno 1216. quo Romæ, prima vice cum Sancto se Patriarchæ Dominico communicauit. Ecce *datum priuilegium*; nobile vtique.

Accipitur Aluernæ Montis possessio. §. 1.

AD explorandam terram promissionis Moyses misit de deserto Pharan viros, & dixit eis: *ascendite per meridianam plagam, cumque veneritis ad Montes considerate terram qualis sit*. Num. 12. Ad plagam meridianam vergit Clusium nouum, Domini Orlandi castrum, quò missi sunt duo à B. Francisco discipuli. Frater Fabianus, & Frater Hugelinus Auctores Speculi S. Francisci, eiusque alumni, hoc modo aiunt. *Expleta igitur solemnitate prædicta, & Domino illo ad propria redeunte S. Franciscus misit duos de socijs suis qui ipsum requirerent. Sed illi propter loca ignota, cum magna difficultate castrum prædicti Domini inuenerunt. Cum autem ad prædictum Dominum venissent, ab eo tamquam Angeli charitatiuè recepti sunt: & associando eos quasi cum quinquaginta munitis, fortè propter feras, ad prædictum Montem iuerunt, qui præuidentes, & prouidentes vbi possent pro habitaculo locum præparare, inuenerunt tandem ibidem paruam planitiem; vbi deliberauerunt in nomine Domini commorari. Illi autem seculares, qui Fratres conduxerant cum spatis ramos arborum incidentes, de ipsis ramis quoddam tugurium construxerunt. Et ibi loco capto, de prædicti Domini licentia, in nomine Iesu Christi iuerunt dicti Fratres pro S. Francisco, vt illuc ipsum deducerent, annunciantes ei prædictum locum esse valde remotum, & aptum contemplationi diuinæ*. Hactenus *illi, vt* patet in] *Speculo centuria 2. cap. 9.* Ex ijs claret, Beatum Franciscum ad Hispaniam minimè directum, quando Alpes transmisit, & ab Orlando cumulatus est Regio Montis Xenio. Nos tamen aliunde accepimus, quòd in regionem Hispaniam iter agebat, quum in Monte Feltro, vel Ferreo, prædicauit ipsoque donatus est Mõ-

te Sancto: Vnde binos ad eum socios explorandum allegauit, cœptumque Sanctus iter extriuit, Apostoli Sacris Reliquijs obsequutus, multisque per illas extructis Monachijs partes, in Italiam reuertitur, Romę Dominicum primò videt; Portiunculam petit, quiescit; Aluernæque habita relatione, gauisus ad illum cum tribus socijs gressum tendit.

HOC IN MONTE VIR DEVOTVS.

In Aluerniæ Montem proficiscitur. Cap. 2.

PRima vice quà Seraphicus Patriarcha venit hunc in Montem, per viam multa mirifica contigerunt. Narrat aduentum hunc primum, vnus ex Beato Francisco coæuis alumnus, vt ipse testatur in Speculo, *Centuria 2. cap. 9.* dicens. *Hanc historiam habuit Frater Iacobus de Maßa ab ore Fratris Leonis, & Frater Vgolinus de monte Sanctæ Mariæ, ab ore dicti Fratris Iacobi; & ego, qui scripsi, ab ore Fratris Vgolini, Viri fidedigni & boni, ad laudem Domini Nostri Iesu Christi.* Hic proculdubio fuit, aut Frater Fabianus, aut Frater Hugelinus, qui Speculum antiquum, teste Philippo Besquiero Cęsarimontano, in Antiquitatibus Franciscanis, conscripserunt. Ast eiusce, quisquis sit, pace truncam satis superque reliquit historiam; Itineris enim memoria dignissima tacuit, vicesq; alias quibus huc venit almus Parens Franciscus vna conclusit: quandoquidem ex antiquis huius Montis historiis, sex vicibus aduenisse, nouissimèque Christi signaculis decoratum, clarissimè liquet. Res igitur sic incedit.

Crucifixi Iesus magnus imitator Franciscus, de loci Aluernæ aptitudine certior factus, à Portiuncula profi-

ficiſcitur cum tribus electis, Fratribus inquam, ſocijs, Leone, qui ei à conſcientiæ rebus erat. Maſſæo, & Angelo accingitur iteri, Montemque Aluernam accedēs, anno à ſaluberrimo Virginis partu 1216. Sacri in eo Fati munus Diuis characteribus inſignitus, impleuit. Tabor Chriſtus cum tribus Petro, Ioanne, & Didaco, luminoſum conſcendit iugum; Franciſcus, Ectypus Chriſti, Luciſluum Montem cum tribus aſcendit. Audias Eccleſiam in Hymno feſti B. Franciſci. *Aſſumptus cum Apoſtolis, in montem noui luminis.* Montem vocat luminis noui: hactenus enim ex in Seraphica illa fulgentiſſima ſpecie, Incarnatum Verbum, nunquam terris apparuit: nouum lumen, nouum myſterium, atque mirabile Sacramentum, nondum Mortalibus plenè cognitum. Accipe verba Auctoris Speculi S. Franciſci eius alumni, & coęui, *cent. 2. cap. 9. Quarè verò impreſſa fuerunt ſtigmata San Jo Franciſco, nondum per omnia innotuit, ſed ſicut ipſe ſocijs ſuis reuelauit, hoc præfert magnum myſteriū in futurum.* Id nos vt Antichriſti ſæuitiam in membra Chriſti fidelia conterat, & furentiſſimam eius contundat tyrannidem philoſophamur; optimèque ſentiunt, qui ante generalem Reſurrectionem piè credunt, Frãciſcum in prælia cum Sacroſancto Paſſionis vexillo, ad auras proditurum. Veniens igitur Patriarcha Seraphicus in Aluernam, Citernæ Caſtrum accedit, ibique, vt Conformitates lib. 1. fru. 10. Chron. ord. par. 1. lib. 2. cap. 43. elogium perhibent, mirum efficit. Eſt id caſtrū in territorio Tiphernenſi, Dięceſis Caſtellanæ in via qua hunc in Montem venitur. Confluunt illicò gentes, omneſque ſe Diuo agglomerant venerãtes, & velut cęlitus lapſum Angelum reuerentes. Siſtit Vir Dei, & vt prædicaret Quercus annoſæ ſtipiti, mordacium formicarum domicilio, flagris edomitos applicat humeros. Alloquitur atrum agmen longo tramite gerens ponduſcula. *Recedite hinc in nomine Domini noſtri Jeſu Chri-*

ſu Chriſti, & ampliùs non redeatis huc. O Magnum, & admirabilem Deum, in ſeruis tuis; dicta citius, cauo arboris totum excutitur formicarium, rapidumquè ſe protrahit longè, cedente populo trãsfugis locum. Exin formicæ nunquam in quercu illa ſunt viſæ. *Mirabile:* ait Piſanus, *nunquam ad dictam quercum amplius acceſſerunt.*

Sed dum prædicaret, ait Auctor ipſe, *aliud accidit ſtupendum, & formidandum. Quædam mulier ſuperueniens cum cymbalo pulſabat, & eius prædicationem impediebat, & à Sancto Franciſco præmonita, vt recederet, vel quieſceret; & ipſa (infelix) cum nullatenus aſſenſum præberet, Sanctus Franciſcus tandem dixit: tolle, tolle Diabole quod tuum eſt, ſtatim capta eſt mulier (miſera) & in aerem eleuata, ac deinceps amplius nunquam viſa eſt.*

Franciſcus noctu à Dęmonibus percutitur fuſtibus, raptatur, & vapulat. §. 1.

NVdipes humilis Ieſu Chriſti dilectus Franciſcus, per vallem Capreſanam ſuum peragens iter, iam iam noctu, in derelictam Sancti Petri ędiculam (propè vicum Typhim, à Mõte Aluerna quinque milliarium diſtantem ſpatio) ſe recipit, laſſoſque ac debiles artus humi ponit, vt aliquantulum nocte quietis accipiat. Et ecce ſed conticinium totus vndique ſtrepitat locus, apparentque agmina Dęmoniorum in ſpeciebus diuerſarum beſtiarum, vnicornis, lupi, leonis, vrſi, elephantis, vulpis, & canis; inuadunt, & fuſtibus crudeliter impetunt; verberant, percutiunt, vulnerant, calcant, raptãtq; trahuntque frementes, dentibus infrendentes, vlulant, clamant, rugiunt, vncant, ſufflant; ò Franciſce, ò Franciſce quàm ſimilis, & conformis es Crucifixo. Ecce priuſquam venias ad tuum Aluernę Caluarium, antequam ibi Domini Ieſu Paſſionem repręſentes, confixus Chriſto, & in ardentiſſima Cruce amoris Seraphici

vulneratus exiſtas, ad viuum capturam eius, in horto factam, repręſentas. Cum gladijs,& fuſtibus exierunt comprehendere Ieſum ſcribarum illi, & Phariſęorum Tygres cum facibus, & armis Tribunus, & cohors, & Miniſtri Iudęorum. Cum gladijs, & fuſtibus, armis piceiſque facibus nocte hac tibi monſtra teterrima Phlegetontis inſultant: ijdemque ipſi qui miniſtros illos contra Ieſum concitarunt,& commouerunt, te adorti ſunt, crudiſque ictibus acutiſſimos dolores incutiunt, vulnerant,& affligtant. Senſere validi commilitones, occu taque vi retenti, nequeunt venire ſuppetias. Rex ſiquidem Ieſus, Ducem ſuum ſtrenuiſſimè pręliantem voluptate afficitur aſpectandi. Diſparent ſtigię laruæ, euanent Monſtra, recedunt Ieſu nomine feruentiſſimè compellato territi Dęmones, & quaſi examinis humi iacet amàſius Crucis Aſſiſias. Exin paulatim erigitur, foraſque ſe protrahit, & quo diluculet, in raptu extatico perſeuerat.

Franciſcus in Montem aſello vehitur. §. 2.

FActo mane Franciſcus inualentia fractus corporiſque viribus deſtitutus proſequi nequit viam: petunt iccircò ex ſocijs duo vicum, humileque requirũt iumentum. Offert ſe illis agricola, *ſiate*, inquiens, *voi di quelli Frati di F. Franceſco d'Aſſiſi, del quale ſi dicono tante gran coſe?* Eſtis ne vos ex illis fratribus fratris Franciſci de Aſſiſio, de quo tam magnalia prædicantur? *ſumus*, aiunt, *& iumentum pro illo quærimus*. Continuò ruſticus aſino clitellas adaptat,& vnà cum ſocijs Sancti Petri Eccleſiam petit; vbi Sanctum, veneratione exhibita iumento impoſitum ducit Typhim. Deponitur aſino, fameſque illum pullinacei pulli eſus optatu, valde cruciat importuna. Iacebat fortè illac mortuus graueolens pullaſter quem vt vidit arripuit, admotoque naribus,

bus, *o lurco, ait, pullaſtri veſcere carnibus, en hic habes.* Fatus, proijcit: penetranſque limina, buccellam panis madefactam aqua volutat in cinere, eaque ſolùm ſe reficit, quin aliud illo comeſtibile ſumat die. Diſcedit tādem iumento inſidens humilis humili, & cum ipſo ruſticus & tres ſocijs verſus Montem: cumque iam viæ aliquantulum confeciſſent, ait agricola. *Pur è vero che sei tu Franceſco d'Aſſiſi, del quale ſi dice tante gran coſe? Procura d'eſſer tale quale ſi dice che ſei.* Statim humilium exemplar & ſpeculum, aſino deſilit agricolæ pedibus inclinatur, eiſque mitiſſimus figit oſcula, gratias agens, cū ſit commonere dignatus. O verum humilem, verum mitem. Oſculatum Ruſtici pedes aſſumunt ſocij; iumento reponunt, viæque reliquum proſequuntur.

Orationis virtute ſcaturire facit fontem in via. §. 3.

Dialogi Sacri Montis referunt, hoc miraculum accidiſſe prima vice qua Sanctus huc venit. Doctor Seraphicus in legenda cap. 7. Theologus Conformitatum lib. 2. fruct. 1. Chronica Ordinis quoque teſtantur idipſum quin hac vice annuant contigiſſe. Accipe Bonauenturam. *Cumque diebus æſtiuis famulum Chriſti ſequendo vir ille, montana conſcenderet, aſperioris, & longioris itineris labore fatigatus, nimioque ſitis ardore deficiens inſtanter cœpit clamare poſt Sanctum: En morior ſiti, niſi poculi alicuius beneficio continuò refocillet. Abſque mora Vir Dei proſiliuit de aſino, & fixis in terra genibus palmas tetendit in Cœlum, orare non ceſſans donec ſe intellexit auditum. Oratione tandem finita; feſtina inquit viro, ad petram, & illic aquam viuam inuenies, quam tibi hac hora miſericorditer Chriſtus de lapide bibendam produxit, Stupenda Dei dignatio, quæ ſeruis ſuis tam facilè ſe inclinat. Bibit ſitiens homo aquam de petra orantis virtute & poculum hauſit de ſaxo duriſſimo. Aquæ decurſus ibidem ante non fuit, nec (vt eſt diligenter quæſitum) deinceps potuit inueniri.*

C 2 Tan-

Tandem Clusij Castrum accedit Sanctus, & ab Orlando lætitia magna excipitur. Redditur iumentum rustico, humilisque nudipes cum suis socijs, & Comite armatis cum centum comitantibus, Montem Sanctum versus dirigitur, qui á dicto Clusij Castro, vt fati iam sumus, milliusculum distitat.

Occurrunt volucres B. Francisco. §. 4.

INgrediente Domino in Sanctam Ciuitatem pueri Hebręorum exierunt obuiam ei portantes ramos palmarum clamantes voce magna dicentes Hosanna filio Dauid. Mysticam Ierusalem vocant multi pietate, & scientia præditi. Aluernam Montem; quid igitur mirum, quòd populi morem gesserint volucres Ectypæ Crucifixi Imagini Redemptoris, Francisco inquã obuiam factę? Testantur plusquam 30. grauissimi veteres nostratisque sęculi scriptores miraculum istud: præcipuè Marcus Lisbonensis in Chron. Rodulphus in Histo. Seraph. lib. 2. Magister Pisanus in Conformitatibus lib. 2. fruct. 1. Dialogi Montis Speculum verò Ordinis cent. 2. cap. 9. per hęc verba. *Cum autem ascenderent Montem, & aliquantulum quiescerent ad pedem cuiusdã Quercus, quæ aliquantulum distabat à loco, multitudo diuersarum auium confluit ad B. Franciscum, ad ipsum cum hilaritate, & cantibus, & alarum ioco vndique concurrentes; aliquę ponebant se super caput eius, aliquę super scapulas, aliquæ super genua, & aliquæ in manibus S. Francisci quod cernens socijs suis dixit. Credo Fratres Charissimi, quòd Domino nostro Iesu Christo placet, quòd in loco isto solitario vnum locum faciamus; tantam de nostro aduentu ostendunt lætitiam sorores nostræ aues.* Extat hodie, quo erat Quercus illa, loco Sacellum Piorũ eleemosynis ædificatum anno 1602. ad instantiam petitionem, & deuotionem fratris Lucidi de Corzano conuerso nostri Ordinis de obseruantia, cum miraculo ibi

graphi-

graphicè depicto. Extantque foris in frontispicio, sculpta in lapide disticha carmina, istæc.

Salue mons felix Sinai felicior illo
Sculpsit vbi Moysi iura sacrata Deus.
Te super apparens Crucifixus luce refulsit
In te Francisco stigmata sacra dedit.
Cum Comite Orlando Franciscus scandere montem,
Hunc primùm venit, venit & omnis auis.
Hic ad Franciscum pictæ venere volucres
Voce salutantes fert auis omnis Aue.

Creaturarum obsequio diuturno perpenso, multi fidelissimum Christi seruum iam, iam ad innocentiæ statum redactum adstruunt, dum illi rationis, nec non & sensus expertia, se domestica tam familiariter se gebant.

SPECV SOLITARIA.

Ramis construit sibi cellam. Cap. 3.

DImissis cum benedictione auibus, surgit Franciscus exultans in Domino, iugum superat, vallicu-lam reperit, nouas benedicit ædiculas, Crucemque ante ipsas arboream magna deuotione salutat, dicens: *O Crux benedicta quæ sola fuisti digna portare Regem Cælorum, & Dominũ: o Crux splendidior cunctis astris mundo celebris hominibus multum amabilis, Sanctior vniuersis: quæ sola fuisti digna portare talentum mundi, dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferès pondera, salua cateruam in tuis hic laudibus congregandam.* Erigit cœlo animum, Deoque mentem; sibique in

Montis labro eligit ſedem, ramiſque Orlandus conſtrui iubet: eodem nimirum loco, vbi ſtigmata ſacra recepit: & hæc fuit prima eius cellula; non quidem illa, quam vulgus autumnat, à ſocijs antea magis finitima ſtructis tugurijs; ſuper ingentis ſaxi crepidinem, vbi in præſentiarum viſitur, *Lapis Promiſſionis*, quem ſua Dominus ſeſſione conſecrauit. Accipe Speculum S. Fran. Cent. 2. cap. 9. *Perrexit in ſpiritu ad prædictum locum, vbi adhuc nihil erat niſi tugurium pauperculum, de ramis arborum factum, & prouiſo ſibi ſolitario loco, fecit ibi vnam pauperculam cellam in latere dicti Montis, & præcepit ſocijs vt nullus ad eum iret.* Accipe Chron. 1. par. cap. 37. *Moſtratoli il luogo d'habitarui, non contento di quello, tanto v'andò girando ſopra, che ne trouò vn'altro à ſua ſatisfazzione per potere contemplare ſecretiſſimo: e ſubito ſi miſe à fabbricare con de' rami d'alberi vna picciola cella, doue gli furono poi date dal Signore le ſue Sagrate Stimmate.*

Hæc Cella eodem illo fuit loco, quo eſt hodie Capella Crucis, contigua Sacræ Stigmatum Aræ à loco in quo fuit à Chriſto vulneratus 8. vel 10. paſſus diſtans. Eſt locus hic in Montis labro Occidentem verſus horribili ac formidando præcipitio imminens, quod quidē 70. cubitorum habet altitudinem vſque ad terram, ab ingentibus vndique protectus rupibus excepta parte Occidentali, quæ Lygellum, plateamque referens paruulam, latam quinque longam 15. paſſibus, voluptuoſum efficiebat ambulacrum. Ad Orientem, & Septemptrionem arduæ rupes impendent; ad meridiem verò, & occaſum apertus eſt locus, minantium expers rupium. Parte iſtac totus eſt ſaxeus, monſque rupeus, inſurgentibus ſurſum 70. cubitis vaſtis, teretibuſque, quaſi dolijs rupibus; quas dolatas fuiſſe dixeris. Theatri figuram gerit hac ipſa Occidentem verſus, quæ Galliā, & Hiſpaniam reſpicit, parte. Aſt ea teres, & vaſta orbita ab Africo incipit, terminatque ad Boream ambitum.

Opus

Opus quidem egregium, ex industria per eammet ipsam, quæ fabricata est Auroram, & Solem, ad tale tantumque mysterium, dexteram fabrefactum.

Ecce elongauit fugiens, & manet Franciscus in solitudine, expectans Iesum qui saluum facit à pusillanimitate spiritus, & tempestate. Chrisostomus in Matthęum, de Ioanne ait. *Sciebat Christum esse venturum, & quærebat eum in deserto, separauerat se à multitudine: oculis enim expectantibus Christum, nil aliud aspicere dignum est præter Christum.* Id ipsum & nos de Francisco: sciebat, vtique se à Domino stigmata recepturum, Romę siquidem Carmelitanus Angelus ei prędixerat, ideo quęrit eum in deserto ibi enim suos Deus affatur visitat solatur, & fouet. Erat vbi nunc est Altare Stigmatum, Fagus procera, & annosa, vt Montis historiæ perhibent, sub qua Vir Dei Oratorium affixa stipiti Cruce, sibi disposuit; & ibi diuturnè orabat. Pręceperat suis, ne quis accederet locum illum, nisi Frater Leo, qui ei à conscientiæ rebus erat. Audias Speculum. *Non iret ad eum nisi semel in die cum pane & aqua, & semel in nocte matutinali hora, in qua nihil loquendo accederet, sed hoc solum proponeret, vel proferret, scilicet: Domine labia mea aperies: & si S. Franciscus responderet de intus, & os meum annunciabit laudem tuam simul dicerent matutinum. Si verò non responderet de intus, statim Frater Leo recederet.* Assignat rationem, qua tale præceptum dedit: *Et hoc ideo præcepit S. Franciscus, quia erat aliquando in tanta extasi mentis, quòd per noctem, & diem loqui non poterat; ita erat absorptus in Deum. Quod præceptum Frater Leo attentissimè obseruauit.* Id ipsum testantur Conformitates, & Chronica, aliæque Montis historię. Pernoctat igitur in oratione Dei, pauper Franciscus à mundo semotus, nudus vigil ardens totus, condensans ieiunia: diesque integros in raptu extatico perseuerat.

Hęc fuit prima quadragesima quam ipse in hoc Sacro Monte peregit, Secunda verò illa in qua Sacrosan-

ctis Crucifixi fuit characteribus insignitus.

Raptus autem, quos hic patitur, admirabiles, inauditique sunt; Attende socios eius, Hugelinum, & Fabianum in Speculo, quid de ipsis raptibus dicant. *Nihilominus Frater Leo fideliter Sanctum custodiebat silenter quantum poterat obseruans, quid Sanctus faceret explorans. Et aliquando inueniebat eum extra cellam eleuatum in aere in tantum spatium, quod poterat tangere eum. Et tunc osculabatur pedes eius, dicens cum lacrimis: Deus propitius esto mihi peccatori, & propter merita huius Viri Sanctissimi fac me tuam misericordiam inuenire. Aliquando inueniebat eum vsque ad medios Fagos eleuatum à terra. Erant autem ibidem* (sunt & nunc dierum, totusq; Fagis ingentibus, & aereis Mons est consitus) *plurimæ de dictis arboribus, proceræ altitudinis valde. Aliquando inuenit eum in tanta altitudine aeris eleuatum, quòd vix eum videre valebat: & tunc Frater Leo genuflectebat, & se totum expandebat in terra, in loco scilicet, vnde S. Franciscus orando erat in altum assumptus: & ibidem Frater Leo orans, per merita Sancti Patris, vt prius se Domino recommendabat, maximas diuinæ gratiæ visitationes sentiebat.* Attende Theologum Conformitatum lib. 1. fruc. 8. *Tempore* inquit, *quo in Monte Aluernæ stabat B. Franciscus, Frater Leo vadens de nocte, vt diceret Matutinum; cũ B. Franciscum non reperisset in Cella, vidit eum tam altè eleuatum, quòd tangere poterat eius pedes: aliquando vidit eum eleuatum ad cacumina arborum: aliquando in tanta altitudine, quòd vix visu poterat eum attingere.* Hæc sunt beneficia magna tuá Domine Deus, Sanctificator Sanctorum tuorum, quibus inopiam esurietium filiorum tuorum reples: quoniam factus es spes desperatorum, & consolatio desolatorum: corona spei, & gloria præparata vincentibus, famelicarum animarum satietas, consolatio sempiterna, quę solis illis te tribuis, qui consolationem huius mundi pro tua perpetua consolatione contemnunt: Nam qui hic consolantur indigni tua consolatione habentur; sed qui hic cruciantur à te consolantur, & qui

par-

participant passionibus, participāt & consolationibus. Hęc vbi considero Domine Iesu consolator meus, in hac vita renuit consolari anima mea, vt digna habeatur tuis consolationibus ęternis. En hic Franciscus passionibus, & Crucis angustijs factus amarior, dulcioribus consolationibus cumulatur: En moles terrea corporis, tota spiritu subleuatur in Deum; Ecce re quid sit pati.

Præcipitem agere Franciscum nititur Sathan. §. 2.

MEllifluus Doctor Bernardus, agens de anima cap. 1. *oportet*, inquit, *id quod ad imaginem est cum imagine conuenire, & non in vacuum nomen imaginis participare.* Non participat Franciscus in vanum Christi imaginis nomē (omitto spiritualem, communem electis) plures enim actiones ac ministeria versans, imaginem Filij Dei humanati præferre demonstrat. En & hic Nazarenorum nobis in Christum odium signat, en quem illi fuere molitā montis culmine pręcipitium, rememorat; nostrisque intimat cordibus contemplandum. *Duxerunt illum*, inquit Lucas 4. *vsque ad supercilium Montis super quem Ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.* Ast ipse inuisibilis eis factus *transiens per medium illorum ibat.* Descēdit Iesus Montem, & sub rupe delituit, saxumque se contrahens subterfugit, mollisque ac teneræ instar cerę viscera, etsi dura, petræ illius sinum Domino pręstitit, permanentibus intus vestis rugis, pedumque vestigijs vsque in hodiernum diem. Accipe Lyranū in glos. super Lucam ibi. *Dicit Beda, quòd cum Dominus de manibus eorum elapsus, de vertice Montis descenderet, & sub rupe latere vellet, subito ad tactum Dominicæ vestis saxum illud subterfugit & instar ceræ, solutum quendam sinum effecit, id est concauitatē; in quo Dominicum corpus reciperetur. In quo loco omnia lineamenta, & rugæ vestis, & vestigia pedum in rupe apparent adhuc*

sicut

sicut testantur qui viderunt. Hæc Nicolaus. Consule Burcardum par.1.cap.6.§.8.Magistrum Histor.Euang.cap. 72.Bedam de locis Sanctis,& alios, eandem adstruentes oculato testimonio veritatem.

Orante Franciscus infernus horrescit Cerberus vlulat,Cocytus sistit,frenatur Phlegeton, styx cohibetur, Acheron spumat, Furię strident, pallent Herebi, mugiunt tartara.Orante Francisco, tabescit chaos, pauet Orcus,tremiscit Auernus,'turbatur vtrinque Plutonis Regia picea, barathrumque dehiscit Senatus Vmbrarum. Erigitur Lucifer, ira catenasque flammeas excutit,sufflat, ignescit,& furit: audet tandem, seseque sub auras proripit,aggreditur,& à summo vertice Montis, & saxo, quo orat Franciscum hostem suum extrudit. Voluitur Seruus Dei, cubitosque ternos peragens, super Cerros illęsus corruit, eumque Angeli in cauum lapidem vrgent;dilatat se rupes, & contrahit, sinumq; beneuolum exhibet mitis hospita. Adeas Chronicon, par.1.lib.2.cap.37. Histor. Seraphicam lib. 2. Dialogos Montis tres Gonzagam,Magistrum deniq; conform. 2.par.lib.1.fruct.7. *in Monte Aluernæ*, inquit, *dum oraret in quadam prærupta Montis rupe, sub qua erat magnum precipitiū, Diabolus arripuit eum,vt per deuexitatem illam eum iactaret. De quo certè fuisset mortuus,nisi diuina gratia eßet adiutus. Beatus Franciscus manus ad saxum extendit, & lapis ille,vt apparet hodie cernentibus* (hisce oculis egomet vidi) *vt cera digitis B. Francisci cessit,& manibus, & sic Domini auxilio inuocato,& ad lapidem se fortiter tenendo casum euasit inimici.* Ecce qualiter bonus,& pius Franciscus Christum Iesum in suis actionibus perfigurat.

Dubitandum non est,prodigium istud, qua Pater Aluernę successit prima fuisse vice; siquidem ex Chronicæ verbis illis elicitur. *Talmente,che oltre allo spatio del corpo suo,che tutto dentro al sasso si rinchiuse, vi restò dipoi per sempre quel vacuo,che vi fece,& ancora l'impronta delle mani,e delle*

dita

dita quando vi s'appoggiò, la qual impronta insino al giorno d'hoggi con infinito stupore d'ogn'vno si vede, e si discerne manifestamente. Onde il Demonio se ne restò confuso, & arrabbiato, & il Seruo di Dio miracolosamente conseruato da quella virtù immensa, che stà presente à i suoi serui, e gli soccorre ouunque è dibisogno. E questo fù (nota hæc) *il possesso che il Signore dette al suo Santo, di quel Monte.* Chronic. par. 1. lib. 2. cap. 37. Possessio igitur primos supponit accessus.

Falco horologium fit excitatorium B. Francisco. § 7.

NIdificauerat in arbore Falco propè locum vbi Pater metatus est sedem: nec destitit vnquam, Sacri stæ ministerium gerere sedulè totoque ibi, quo duxit moras, tempore, Virum Dei orationem excitare. Accide Seraphicum Bonauenturam, in legenda S. Franc. c. 8. *Cùm igitur contraheret ibi moram Falco ibidem nidificens, magno se illi amicitiæ fœdere copulauit. Nam semper horam nocturno tempore, in qua Vir Sanctus ad diuina officia surgere solitus erat, cantu suo præueniebat, & sono; quod famulo Dei gratissimū erat, eo quòd tanta solicitudo, quam circa eum gerebat, omnem ab ipso torporem desidiæ excuteret. Cum verò Seruus Christi infirmitate plus solito grauaretur parcebat Falco, nec iam tempestiuas indicebat vigilias. Siquidem velut instructus à Deo, circa diluculum suæ vocis campanam leui tactu pulsabat.* Hæc ille. Theologus conformitatum lib. 2. fruct. 1. *Falco* inquit, *in Monte Aluernæ ibidem nidificans, Beato P. tri singulariter fuit iunctus amicitia: suo cantu de nocte, sanctitatis tempore exci tans eum tempestiuè, tardiùs verò dum Pater ipse infirmaretur.* Dies ad nostros Falconis eiusdem Sacrorum venerandam stigmatum super ædem, nidificat soboles: mirificentissimumque est, nunquam eundem locum destituisse: tametsi proles ad Serenissimi Ducis Magni Curiam Falconculi fuerint ab ipso sæpius cubili direpti: reuertitur tamen: cum sit visum, compertumque alibi, sublata prole nunquam rediisse parentem.

Ani-

Animum per Montem Franciscus pascens, reperit saxum fletus ibique Angelus ei apparet. §. 4.

COrreptis ad horam Seraphicis animæ loris, ardentisque spiritus viribus temperatis, ad visibilia quoque solatia, aliquantisper casti laxat sensus habenas; vt Sale conditus Amasio Iesu placeat rigor. It & Franciscus Montis mirifica deuotè contemplans, acie lustrat pia, lento incedit gradu scissurasque fissuras, hiatusque horribiles admiratur, attonitus obstupescit. Est subter ima profunditas, magnis vndique septa rupibus, in qua, portenti loco habitum, saxum visitur vastum, ingens; libratum iam, suspensum iamque sese grauissima tenēs mole. Nititur paululum saxo nato, Austrumque versus subsidet, ad Boream per occiduum se dilatans absq; fulcro, abscissum vndique totum corpus, latum octo, tribus vel quatuor longum cubitis. Terrorem incutit suspectanti, incussitque Proceribus, Montalto S. Eccl. Cardinali, Serenissimis Ferdinando primo Hetruriæ Magno Duci, Mantuę quoque Vincentio, alijsque plurimis qui saxum ipsum visere. Nuncupat vulgus *sasso spiccato*, idest *saxum abscißum*. Huc Pater adueniens, dirigit aciem, sistit gradum, serioque rapitur in stuporem. Genua subterflectit, & psalmos pœnitentię recitans petit, quæ nam causa talis ac tantę rupium fractionis, sibi à Domino reuelari. Orato confestim affuit Sāctus Aliger, *Francisce* inquiens, *saxum istud pluraque alia, scißa quæ in hoc monte videbis omnia in morte Domini Nostri Iesu Christi fracta, & scissa sunt*. Vulneratum est cor eius ad ista verba, eiusque animam doloris transgredit gladius, dum illa crudelis Passio Saluatoris ingruit auribus, mentem occupat. Hinc ad lacrymas, hinc ad fletum amator Crucifixi tenerrima compassione cietur: huncq; postmodum frequentissimè visitans obseruantia maxima locum habuit, & *saxum fletus* à ploratu assiduo, quo ipsum

coluit,

coluit, appellatur. Habes mi lector omnia hæc diffusè in historia, quam sub inscriptione *Monte Serafico della Verna*, prodidimus; compendio quippe vtimur, vt amplum vitemus volumen.

Mons Aluerna apertus in morte Christi quando petræ scißæ sunt. §. 5.

IEsus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum, & ecce velum Templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt; scribit Matthæus cap. 27. Ecclesia verò expressè, vniuersam terram contremuisse, in suis lugubribus actitationibus tradit, dicẽs. *Velum templi scißum est, & omnis terra tremuit.* Terremotum hunc magnum non modò fideles, verũ & Ethnici quoque scriptores adstruunt. Plinius in naturali hist. lib. 2. cap. 84. Suetonius in Tib. cap. 48. Dion. lib. 57. Phlegon autem lib. 14. ait. *Quarto anno 202 olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta, dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ in cælo visæ sint, terraque motus in Bythinia Nicænæ vrbis multas ædes subuerterit.* Cirillus Episcopus Ierosolymitanus, Cathec. 13. ita fatur. *Cæterum quis negat, terræmotus hoc anno repetitos, idipsum præsertim post Euãgelistas testante Phlegonte, & si non Asiam tunc concussisse, certe in alijs orbis regionibus sui magnitudine prodigiosos fuisse?* Hieronymus in epist. 150. quest. 8. refert ex Euangelio Nazaræorum, quod ipse transtulit in latinum, eodem terremotu superliminare Templi excidisse, eiusceque frontispicium rimas traxisse, Angelosque hora ipsa auditos intus in templo clamantes; *Eamus hinc.*

Tunc Aluerna disclusus est, tunc & vastos horribilesque hosce contraxit hiatus. At quos amabò? profundissimos propè centrum, per circuitus & ambages, tortos retortos, inflexos atque reflexos, diuersos tandẽ, necnon

necnon & transuersos. Cedat Caieta: trinam quippe solummodò scissuras, monstruosas quidem; mõstruosioresque satisque superque plures, habet Aluerna. Testantur auctoritatis eximiæ Viri, scissuras Aluernæ in morte Christi fuisse factas: Seraphicus Bonauentura, vt latius patet in *Monte Seraphico* à nobis edito, lib. 3. cap. 7. Diuus Bernardinus Senensis in *Seraphim*, tom. 4. serm. 16. sic fatus; *lapides sunt scissi quia tempore Passionis Christi petræ scissę sunt. Et multi Doctores dicunt, quòd Mons iste diuisus fuit, & petræ eius scissæ sunt tempore Passionis Christi; ad significandum, quòd ibi Plagę Passionis Christi debebant renouari.* Cardinalis Baronius An. Chri. 34. *Golgotha Montem monstrare petras scissas, habet Cirillus Cathe. 13. Tum quoque Aluernię Montem in Etruria, & Caietę promontorium scißum traditione constat plurimorum.* Hęc ipse. Magister Theologus Conformitatum lib. 3. fruct. 3. *Hic mons Passionis Christi signis specialiter prædotatus: nam tempore Passionis Christi, vt patet in Euangelio petrę scissæ sunt: quod singulari modo in monte isto apparet, nam diuisus est à capite vsque deorsum* Congruè vtique à capite vsque deorsum, cum qui tunc passus est referens, pendebat enim in Cruce à planta pedis vsque ad verticem laniatus, & plenus plagis: Velumq; eundem signauit, à summo vsque deorsum scissum. Patriarcha Hierosolymitanus Franciscus Ximenes, lib. de natura Angelica tractatu 5. cap. 13. *In Italia,* inquit, *hora qua Christus expirauit in Cruce, apertus est quidam Mons magnus, quem Aluerna vocant, scindens se vsque ad abyssos.* Optimè, verè loquitur: sunt enim aperturæ ita infernę, vt experientia comprobante, funibus cum plumbis iniectis, terminus vnquam attactus minimè fuit. Vidi ego omnia huiusmodi monstruositatis cunabula, exploraui cum alij, non quidem sępe, sed sępius: est mirandũ. similes equidem sunt scissurę horribili Montis Caluarij, cuius terminum attingere qui aliquando deuotionis, & curiositatis ergò experti sunt, nullatenus potuerunt. Ro-

Rodulphus Tossinianensis in histo. Seraphica lib. 2. *Ibi apparent impenetrabiles cauernæ, abrupti & suspensi lapides: & petræ in Passione Christi scissæ, singulari modo apparent quod Patribus fuit reuelatum.* Franciscus Gonzaga in Chron. par. 2. *Affuit B. Francisco Angelus, qui sibi dixit præfatum lapidem in Christi Seruatoris morte cum cęteris petris scissum fuisse.* Robertus à Licio serm. de stigmat. *Ad hoc ille Mons in plerisque locis apertus, vbi scissurę videntur quasi violenter, non naturaliter factæ, vt tempore illo euenerunt, quo petrę scissæ sunt, patiente in Cruce Iesu Filio Dei.* Petrus Valderrama Augustinianus in Theatro Relig. Magister Christophorus à Fonseca Augustinianus, 4. par. *Vitæ Christi*, serm. B. Fran. *Caluarium alium* vocans: Carrozzolius, homil. de Diuo Fran. præfatus à Licio serm. 44. cap. 3. Franciscus Salazar Episcopus Salaminę, in epist. ad Auctorem Dialogi Montis Aluernę, ibi in principio ipsius Dialogi, lib. 1. cap. 5. fol. 29. Antonius Dassa in tractatu de stigm. cap. 4. Ludouicus à Rebolledo in Chronica vltraque 20. Auctores alij testantur idipsum. Augustinus Gallucius de Mondolfo in *Ierusalem* cant. 17.

QVando Christo Giesù su'l sacro legno
Spirò chinando il capo inuer la terra,
Che'l Sol diede di doglia oscuro segno,
E che tremò per gran dolor la terra,
Che'l Velo si spezzò famoso, e degno,
Che ne' Sepolcri suoi s'aprì la terra;
Ruppersi questi, e così rotti ancora
Mostrano il dispiacer, ch'hebbero all'hora.

Angelus Bardi in Arbore S. Francisci.

Son quì scoscese rupi
Più degl'homin sensate
Ch'oue questi al suo Dio
Per odio il sen partiro,
Queste sol per pietà di lui s'ap..ro.

Mau-

Maurus à Spello *Francisci ados* lib. 11. egregio carmine modulans ait.

Hic specus, hæc rupis disiecta cæca vorago,
Atque immanè patens, tum cum sol aureus orbi
Subduxit lucem, lethum indignatus acerbum
Auctoris rerum, & latè sola vasta patentis
Telluris gemuere cauis decussa sub antris:
Mœniaque horrisono mundi conuulsa tremore
Impleruntt trepidas gentes mugitibus atris
Apparens primùm, vicinos vndique pagos
Spectatum acciuit magnę noua monstra ruina
Namque ferunt vasto tremeret cum pondere Tellus
Hæc saxa immanis penitus vi quassa tremoris
Dissiluisse, atque ingenti deducta fragore
Quà modò laxa patent, traxisse voraginis ora.

Quodque magis accedit mysterio prędítum est, Mõtis huiusmodi lyas horribiles, omnes Occidentem versus hiare, eodem videlicet, quo Beatus Pater stigmatizatus est loco. Ad Aquilonem, Eurum, atq; Austrum nonnullæ sunt, exiguæ tamen scissuræ; ad Zephyrum verò monstruositates apparent, quarum intra ambitũ, Franciscus extitit vulneratus.

Lupus latro per syluam Francisco fit obuiam. §. 6.

VT sacri Golgothę viuam pręferret Aluerna effigiẽ & figuram, latro non defuit, qui ad pœnitentiæ gremium redactus, illius plenissimi iubilæi, quod beatus adeptus est Dimas, referret pœnitentibus monimẽtum. Christus Dominus vnum in Caluario illo ad frugem bonam reduxit, latronemque cõuertit, Franciscus in hoc mystico suo Golgotha, latronem alium ad viam salutis, æternæque vitæ semitam euocauit. Chrysostomus

mus hom. de latrone, tom. 3. inter excellentiora miracula Christi, latronis enumerat conuersionem; ita vt eius diuinitas eo magis, quàm mortuorum suscitatu, cæcorumque illustratione, clarescerет. *Non enim illo tẽpore mortuum aliquem reddidit luci, nec mare à suo tumore compescuit, nec &c.* subditq; *latronis mentem auersam voluit commutare, vt ex omni parte, eius diuinitas sentiretur.* Lupi conuersio per Italiam strepuit vniuersam tam scelesto, infestoque homine expiato, mirum in modum gratulantem: cuius rei gratia, Francisci celebritas Sanctitatis illustrior, eiusque nominis magnificentia clarior, longè latèque radios enodauit.

Erat hic Lupus Sarmata, illis è finibus pulsus edicto, succedensque hisce Aluerniæ compitis, grassabatur, prædonum princeps, viatoribus ingruens: impetebat, occidebat, capiebat, vinctosque in spoliarium trahens, ibi miseros, quò indictam pecuniæ summam exigeret, extorquebat. Spoliarium autem in summo erat vertice, custodiæ locus ibidem; quem hactenus *il sasso di fra Lupo*, idest saxum fratris Lupi, vulgus appellat. Perlustrans itaque nemorita Seraphicus opacam fageti syluam Lupum offendit, inculta cæsarie, torua facie, suffectisque sanguine, & igni oculis. *Ecquid* obijcit, *quæris istac?* Ecquid lurco? Abeas ocyus, quin ex ijs te vni fagis appendam. Procumbit illico mitium norma; ad Lupi genua, sedat eloquio, fera mitescit. Venit summa dies, & ineluctabile tempus, ab æterno decretum, quo Lupus in agnum, bellua vertatur in hominem. Occursat tertiò Pater Lupo, verbisque mellifluis, eiusque iãdudum ferini animi penetralibus, diuini amoris ambrosium nectar instillat. Exuit carniuorum Lupum, induit Agnum Iesum, reijcit siccam, & suscipit Crucem. excutit Martium Sathana, amplectitur cœli pacificum Regem Christum: quique diutius hipyrobolarium cruentus insidians egit, Columbino Minorum choro,

D cum

cum lachrimarum pœnitentiæ imbribus aggregatur, lupinaque truculentia destituta, nomen mutauit, & mores: siquidem *Frat' Agnello* deinceps Patris imperio, nuncupatur. Testantur Auctores Dialogorum sermoque diffusior extat in *Monte Seraphico della Verna.* Ast & Maro Seraphicus Maurus inquam Spelli, lib. 12. Franciſciados, ita canit de Lupo latrone.

Sæpe hic conuentum diræ fecere cateruæ,
Raptorum, prædisque loco assuenere recentes
Partiri secum, & lætè conniuere rapto.
Hunc silicem . . . .
Cernis vt insurgat præcisis vndique saxis
Supremo aereas imitante cacumine metas
Quantùm non longi committat machina pontis
Hunc nostris fama notum fecere diebus,
Impia semihominis monumenta innataque cordi
Dira Lupi feritas, & cędum sæua cupido,
Sarmaticis (ea fama canens) hic debita factis
Supplicia infandis fugiens excesserat oris;
Informis visu, atque immanis corpore, & ore
Terrificus, caput aßurgit cui turbinis instar
Incultisque riget sertis, frons turget acuto
Tubere, subter biant orbes, oculique repostì
Interius sedere truces, atque igne micantes.
Talis erat, talemque feri genuere parentes
Hanc igitur sedem monstrum illætabile nuper
Ceperat, bis dumis, cæcisque latebat in antris:
Per lucem; at postquam nox intempesta silebat,
Et latè obtentas densabat fusca tenebras,
Horrificas sedes, & fęda cubilia linquens,
Præcipitabat atrox descensum Montis ab alto
Vertice, & immani rabie turgentia quassans
Pectora, mox agros ferus irrumpebat apertos
Væ pecorum stabulis, væ tunc agrestibus illis,

Quos

Quos nec firma domus, portæ non vectibus æreis
Effultæ poterant, non robora sæua tueri.

Hæc Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ alumnus.

Apparet Virgo Deipara cum vtroque Bapt. & Euang. Ioannem deſignatque Franciſco Eccleſiam. §. 7.

ADerat Natiuitatis B. Virginis alma vigilia, Septembris 7. noctiſque illius Angelicus Anſer excubitor in contemplatione diuina moras ducebat inſomnes, quum fulgidus Ales cęlitus lapſus; *Franciſce*, inquit, *perge citò, quia Domina Dei Mater Fratrum in Oratorio te expectat.* Proripitur obedientiæ ſpeculum, & in Oratorio ipſo Paradiſi Reginam, cœlitum choris vtrinque ſtipatam, cum Sancto Præcurſore Baptiſta, & cum Dilecto Domini Ioanne Euangeliſta, reperit. Erat autem Oratorium illud humillimum, lignis & terra conſtructum, eodem ipſomet loco, vbi Eccleſiuncula Virginis hactenus extat. Procumbit Franciſcus ante Genitricis Altithroni maieſtatem, eamque qua potuit pietate hiperdulicè coluit, & adorauit. Quem Virgo benigniſſimè appellans, Eccleſiæ dedit archetypum, locum ſitumque deſignans; longam, quàm latam efficeret, proprijs manibus delineauit. Habes de iis apud Marcum Fabium priſci Dialogi Montis huiuſce ſcriptorem; habes elogium apud Auguſtinum à Millio, grauiſſimum Virum in ſuo dialogo, habeſque apud Aurelium Sauellium in ſuo Dialogo, tandemque antiquiſſimam traditionem Prouinciæ Thuſciæ calleas in qua rei huiuſce memoria viget.

sicut testantur qui viderunt. Hæc Nicolaus. Consule Burcardum par.1.cap.6.§.8.Magistrum Histor.Euang.cap. 72.Bedam de locis Sanctis,& alios, eandem adstruentes oculato testimonio veritatem.

Orante Franciscus infernus horrescit Cerberus vlulat,Cocytus sistit,frenatur Phlegeton, styx cohibetur, Acheron spumat, Furię strident, pallent Herebi, mugiunt tartara.Orante Francisco, tabescit chaos, pauet Orcus,tremiscit Auernus,'turbatur vtrinque Plutonis Regia picea, barathrumque dehiscit Senatus Vmbrarum. Erigitur Lucifer, ira catenasque flammeas excutit,sufflat, ignescit,& furit: audet tandem, seseque sub auras proripit,aggreditur,& à summo vertice Montis, & saxo, quo orat Franciscum hostem suum extrudit. Voluitur Seruus Dei, cubitosque ternos peragens, super Cerros illęsus corruit, cumque Angeli in cauum lapidem vrgent;dilatat se rupes, & contrahit, sinumq; beneuolum exhibet mitis hospita. Adeas Chronicon, par.1.lib.2.cap.37. Histor. Seraphicam lib. 2. Dialogos Montis tres· Gonzagam,Magistrum deniq; conform. 2.par.lib.1.fruct.7. *in Monte Aluernæ*, inquit, *dum oraret in quadam prærupta Montis rupe, sub qua erat magnum pręcipitiũ, Diabolus arripuit eum,vt per deuexitatem illam eum iactaret. De quo certè fuisset mortuus,nisi diuina gratia esset adiutus. Beatus Franciscus manus ad saxum extendit, & lapis ille,vt paret hodie cernentibus* (hisce oculis egomet vidi) *vt cera digitis B. Francisci cessit,& manibus, & sic Domini auxilio inuocato,& ad lapidem se fortiter tenendo casum euasit inimici.* Ecce qualiter bonus,& pius Franciscus Christum Iesum in suis actionibus perfigurat.

Dubitandum non est,prodigium istud, qua Pater Aluernę successit prima fuisse vice; siquidem ex Chronicæ verbis illis elicitur. *Talmente,che oltre allo spatio del corpo suo,che tutto dentro al sasso si rinchiuse, vi restò dipoi per sempre quel vacuo,che vi fece,& ancora l'impronta delle mani,e delle*

dita

dita quando vi s'appoggiò, la qual impronta insino al giorno d'hoggi con infinito stupore d'ogn'vno si vede, e si discerne manifestamente. Onde il Demonio se ne restò confuso, & arrabbiato, & il Seruo di Dio miracolosamente conseruato da quella virtù immensa, che stà presente à i suoi serui, e gli soccorre ouunque è dibisogno. E questo fù (nota hæc) *il possesso che il Signore dette al suo Santo, di quel Monte.* Chronic. par. 1. lib. 2. cap. 37. Possessio igitur primos supponit accessus.

Falco horologium fit excitatorium B. Francisco. § 3.

Nidificauerat in arbore Falco propè locum vbi Pater metatus est sedem: nec destitit vnquam, Sacristæ ministerium gerere sedulè totoque ibi, quo duxit moras, tempore, Virum Dei orationem excitare. Accide Seraphicum Bonauenturam, in legenda S. Franc. c. 8. *Cùm igitur contraheret ibi moram Falco ibidem nidificans, magnò se illi amicitiæ fœdere copulauit. Nam semper horam nocturno tempore, in qua Vir Sanctus ad diuina officia surgere solitus erat, cantu suo præueniebat, & sono; quod famulo Dei gratissimū erat, eo quòd tanta solicitudo, quam circa eum gerebat, omnem ab ipso torporem desidiæ excuteret. Cum verò Seruus Christi infirmitate plus solito grauaretur parcebat Falco, nec iam tempestiuas indicebat vigilias. Siquidem velut instructus à Deo, circa diluculum suæ vocis campanam leui tactu pulsabat.* Hæc ille. Theologus conformitatum lib. 2. fruct. 1. *Falco* inquit, *in Monte Aluernæ ibidem nidificans, Beato Patri singulariter fuit iunctus amicitia: suo cantu de nocte, sanctitatis tempore excitans eum tempestiuè, tardius verò dùm Pater ipse infirmaretur.* Dies ad nostros Falconis eiusdem Sacrorum venerandam stigmatum super ædem, nidificat soboles: mirificentissimumque est, nunquam eundem locum destituisse: tametsi proles ad Serenissimi Ducis Magni Curiam Falconculi fuerint ab ipso sæpius cubili direpti: reuertitur tamen: cum sit visum, compertumque alibi, sublata prole nunquam redisse parentem.

Ani-

Animum per Montem Franciscus pascens, reperit saxum fletus ibique Angelus ei apparet. §. 4.

CORreptis ad horam Seraphicis animæ loris, ardentisque spiritus viribus temperatis, ad visibilia quoque solatia, aliquantisper casti laxat sensus habenas; vt Sale conditus Amasio Iesu placeat rigor. It & Franciscus Montis mirifica deuotè contemplans, acie lustrat pia, lento incedit gradu scissurasque fissuras, hiatusque horribiles admiratur, attonitus obstupescit. Est subter ima profunditas, magnis vndique septa rupibus, inqua, portenti loco habitum, saxum visitur vastum, ingens; libratum iam, suspensum iamque sese grauissima tenēs mole. Nititur paululum saxo nato, Austrumque versus subsidet, ad Boream per occiduum se dilatans absq; fulcro, abscissum vndique totum corpus, latum octo, tribus vel quatuor longum cubitis. Terrorem incutit suspectanti, incussitque Proceribus, Montalto S. Eccl. Cardinali, Serenissimis Ferdinando primo Hetruriæ Magno Duci, Mantuę quoque Vincentio, alijsque plurimis qui saxum ipsum visere. Nuncupat vulgus *sasso spiccato*, idest *saxum abscissum*. Huc Pater aduenïens, dirigit aciem, sistit gradum, serioque rapitur in stuporem. Genua subterflectit, & psalmos pœnitentię recitans petit, quæ nam causa talis ac tantę rupium fractionis, sibi à Domino reuelari. Orato confestim affuit Sāctus Aliger, *Francisce* inquiens, *saxum istud pluraque alia, scissa quæ in hoc monte videbis omnia in morte Domini Nostri Iesu Christi fracta, & scissa sunt.* Vulneratum est cor eius ad ista verba, eiusque animam doloris transgredit gladius, dum illa crudelis Passio Saluatoris ingruit auribus, mentem occupat. Hinc ad lacrymas, hinc ad fletum amator Crucifixi tenerrima compassione cietur: huncq; postmodum frequentissimè visitans obseruantia maxima locum habuit, & *saxum fletus* à ploratu assiduo, quo ipsum

coluit,

coluit, appellatur. Habes mi lector omnia hæc diffusè in historia, quam sub inscriptione *Monte Serafico della Verna*, prodidimus; compendio quippe vtimur, vt amplum vitemus volumen.

Mons Aluerna apertus in morte Christi quando petræ scißæ sunt. §. 5.

IEsus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum, & ecce velum Templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt; scribit Matthæus cap. 27. Ecclesia verò expresſè, vniuersam terram contremuisse, in suis lugubribus actitationibus tradit, dicẽs. *Velum templi scißum est, & omnis terra tremuit.* Terremotum hunc magnum non modò fideles, verũ & Ethnici quoque scriptores adstruunt. Plinius in naturali hist. lib. 2. cap. 84. Suetonius in Tib. cap. 48. Dion. lib. 57. Phlegon autem lib. 14. ait. *Quarto anno 202 olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta, dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ in cęlo visæ sint, terraque motus in Bythinia Nicenæ vrbis multas ædes subuerterit.* Cirillus Episcopus Ierosolymitanus, Cathec. 13. ita fatur. *Cæterum quis negat, terræmotus hoc anno repetitos, idipsum præsertim post Euãgelistas testante Phlegonte, & si non Asiam tunc concussisse, certe in alijs orbis regionibus sui magnitudine prodigiosos fuisse?* Hieronymus in epist. 150. quęst. 8. refert ex Euangelio Nazaręorum, quod ipse transtulit in latinum, eodem terremotu superliminare Templi excidisse, eiusceque frontispicium rimas traxisse, Angelosque hora ipsa auditos intus in templo clamantes; *Eamus hinc*.

Tunc Aluerna disclusus est, tunc & vastos horribilesque hosce contraxit hiatus. At quos amabò? profundissimos propè centrum, per circuitus & ambages, tortos retortos, inflexos atque reflexos, diuersos tandẽ, necnon

necnon & transuersos. Cedat Caieta: trinam quippe solummodò scissuras, monstruosas quidem; mõstruosioresque satisque superque plures, habet Aluerna. Testantur auctoritatis eximiæ Viri, scissuras Aluernæ in morte Christi fuisse factas: Seraphicus Bonauentura, vt latius patet in *Monte Seraphico* à nobis edito, lib. 3. cap. 7. Diuus Bernardinus Senensis in *Seraphim*, tom. 4. serm. 16. sic fatus; *lapides sunt scissi quia tempore Passionis Christi petræ scissę sunt. Et multi Doctores dicunt, quòd Mons iste diuisus fuit, & petræ eius scissæ sunt tempore Passionis Christi; ad significandum, quòd ibi Plagę Passionis Christi debebant renouari.* Cardinalis Baronius An. Chri. 34. *Golgotha Montem monstrare petras scissas, habet Cirillus Cathe. 13. Tum quoque Aluernię Montem in Etruria, & Caietę promontorium scißum traditione constat plurimorum.* Hęc ipse. Magister Theologus Conformitatum lib. 3. fruct. 3. *Hic mons Passionis Christi signis specialiter prædotatus: nam tempore Passionis Christi, vt patet in Euangelio petrę scissæ sunt: quod singulari modo in monte isto apparet, nam diuisus est à capite vsque deorsum* Congruè vtique à capite vsque deorsum, cum qui tunc passus est referens, pendebat enim in Cruce à planta pedis vsque ad verticem laniatus, & plenus plagis: Velumq; eundem signauit, à summo vsque deorsum scissum. Patriarcha Hierosolymitanus Franciscus Ximenes, lib. de natura Angelica tractatu 5. cap. 13. *In Italia*, inquit, *hora qua Christus expirauit in Cruce, apertus est quidam Mons magnus, quem Aluerna vocant, scindens se vsque ad abyssos.* Optimè, verè loquitur: sunt enim aperturæ ita infernę, vt experientia comprobante, funibus cum plumbis iniectis, terminus vnquam attactus minimè fuit. Vidi ego omnia huiusmodi monstruositatis cunabula, exploraui cum alij, non quidem sępe, sed sępius: est mirandũ. similes equidem sunt scissurę horribili Montis Caluarij, cuius terminum attingere qui aliquando deuotionis, & curiositatis ergò experti sunt, nullatenus potuerunt.


Rodulphus Tossinianensis in histo. Seraphica lib. 2. *Ibi apparent impenetrabiles cauernæ, abrupti & suspensi lapides: & petræ in Passione Christi scissæ, singulari modo apparent quod Patribus fuit reuelatum*. Franciscus Gonzaga in Chron. par. 2. *Affuit B. Francisco Angelus, qui sibi dixit præfatum lapidem in Christi Seruatoris morte cum cęteris petris scissum fuisse.* Robertus à Licio serm. de stigmat. *Ad hoc ille Mons in plerisque locis apertus, vbi scissurę videntur quasi violenter, non naturaliter factæ, vt tempore illo euenerunt, quo petrę scissæ sunt, patiente in Cruce Iesu Filio Dei*. Petrus Valderrama Augustinianus in Theatro Relig. Magister Christophorus à Fonseca Augustinianus, 4. par. *Vitæ Christi*, serm. B. Fran. *Caluarium alium* vocans: Carrozzolius, homil. de Diuo Fran. præfatus à Licio serm. 44. cap. 3. Franciscus Salazar Episcopus Salaminę, in epist. ad Auctorem Dialogi Montis Aluernę, ibi in principio ipsius Dialogi, lib. 1. cap. 5. fol. 29. Antonius Dassa in tractatu de stigm. cap. 4. Ludouicus à Rebolledo in Chronica vtraque 20. Auctores alij testantur idipsum. Augustinus Gallucius de Mondolfo in *Ierusalem* cant. 17.

QVando Christo Giesù su'l sacro legno
Spirò chinando il capo inuer la terra,
Che'l Sol diede di doglia oscuro segno,
E che tremò per gran dolor la terra,
Che'l Velo si spezzò famoso, e degno,
Che ne' Sepolcri suoi s'aprì la terra;
Ruppersi questi, e così rotti ancora
Mostrano il dispiacer, ch'hebbero all'hora.

Angelus Bardi in Arbore S. Francisci.

Son quì scoscese rupi
Più degl'homin sensate
Ch'oue questi al suo Dio
Per odio il sen partiro,
Queste sol per pietà di lui s'apriro.

Mau-



Maurus à Spello *Franciſciados* lib. 11. egregio carmine modulans ait.

Hic ſpecus, hæc rupis diſiecta cæca vorago,
Atque immanè patens, tum cum ſol aureus orbi
Subduxit lucem, lethum indignatus acerbum
Auctoris rerum, & latè ſola vaſta patentis
Telluris gemuere cauis decuſſa ſub antris:
Mœniaque horriſono mundi conuulſa tremore
Implerunt trepidas gentes mugitibus atris
Apparens primùm, vicinos vndique pagos
Spectatum acciuit magnę noua monſtra ruinæ
Namque ferunt vaſto tremeret cum pondere Tellus
Hæc ſaxa immanis penitus vi quaſſa tremoris
Diſſiluiſſe, atque ingenti deducta fragore
Quà modò laxa patent, traxiſſe voraginis ora.

Quodque magis accedit myſterio pręditum eſt, Mōtis huiuſmodi lyas horribiles, omnes Occidentem verſus hiare, eodem videlicet, quo Beatus Pater ſtigmatizatus eſt loco. Ad Aquilonem, Eurum, atq; Auſtrum nonnullæ ſunt, exiguæ tamen ſciſſuræ; ad Zephyrum verò monſtruoſitates apparent, quarum intra ambitū, Franciſcus extitit vulneratus.

Lupus latro per ſyluam Franciſco fit obuiam. §. 6.

VT ſacri Golgothę viuam pręferret Aluerna effigiē & figuram, latro non defuit, qui ad pœnitentiæ gremium redactus, illius pleniſſimi iubilæi, quod beatus adeptus eſt Dimas, referret pœnitentibus monimētum. Chriſtus Dominus vnum in Caluario illo ad frugem bonam reduxit, latronemque cōuertit, Franciſcus in hoc myſtico ſuo Golgotha, latronem alium ad viam ſalutis, æternæque vitæ ſemitam euocauit. Chryſoſtomus

mus hom. de latrone, tom. 3. inter excellentiora miracula Christi, latronis enumerat conuersionem; ita vt eius diuinitas eo magis, quàm mortuorum suscitatu, cæcorumque illustratione, clarescerct. *Non enim illo tẽpore mortuum aliquem reddidit luci, nec mare à suo tumore compescuit, nec &c.* subditq; *latronis mentem auersam voluit commutare, vt ex omni parte, eius diuinitas sentiretur*. Lupi conuersio per Italiam strepuit vniuersam tam scelesto, infestoque homine expiato, mirum in modum gratulantem; cuius rei gratia, Francisci celebritas Sanctitatis illustrior, eiusque nominis magnificentia clarior, longè latèque radios enodauit.

Erat hic Lupus Sarmata, illis è finibus pulsus edicto, succedensque hisce Aluerniæ compitis, grassabatur, prædonum princeps, viatoribus ingruens: impetebat, occidebat, capiebat, vinctosque in spoliarium trahens, ibi miseros, quò indictam pecuniæ summam exigeret, extorquebat. Spoliarium autem in summo erat vertice, custodiæ locus ibidem; quem hactenus *il sasso di f. a Lupo*, idest saxum fratris Lupi, vulgus appellat. Perlustrans itaque nemorita Seraphicus opacam fageti syluam Lupum offendit, inculta cæsarie, torua facie, suffectisque sanguine, & igni oculis. *Ecquid* obijcit, *quæris istac?* Ecquid lurco? Abeas ocyus, quin ex ijs te vni fagis appendam. Procumbit illico mitium norma; ad Lupi genua, sedat eloquio, fera mitescit. Venit summa dies, & ineluctabile tempus, ab æterno decretum, quo Lupus in agnum, bellua vertatur in hominem. Occursat tertiò Pater Lupo, verbisque mellifluis, eiusque iãdudum ferini animi penetralibus, diuini amoris ambrosium nectar instillat. Exuit carniuorum Lupum, induit Agnum Iesum, reijcit siccam, & suscipit Crucem. excutit Martium Sathana, amplectitur cœli pacificum Regem Christum: quique diutius hipyrobolarium cruentus insidians egit, Columbino Minorum choro,

D cum

cum lachrimarum pœnitentiæ imbribus aggregatur, lupinaque truculentia destituta, nomen mutauit, & mores: siquidem *Frat' Agnello* deinceps Patris imperio, nuncupatur. Testantur Auctores Dialogorum sermoque diffusior extat in *Monte Seraphico della Verna*. Ast & Maro Seraphicus Maurus inquam Spelli, lib. 12. Francisciados, ita canit de Lupo latrone.

Sæpe hic conuentum diræ fecere cateruæ,
Raptorum, prædasque loco assueuere recentes
Partiri secum, & letè conniuere rapto.
Hunc silicem . . . .
Cernis vt insurgat præcisis vndique saxis
Supremo aereas imitante cacumine metas
Quantùm non longi committat machina pontis
Hunc nostris fama notum fecere diebus,
Impia semihominis monumenta innataque cordi
Dira Lupi feritas, & cędum sæua cupido,
Sarmaticis (ea fama canens) hic debita factis
Supplicia infandis fugiens excesserat oris;
Informis visu, atque immanis corpore, & ore
Terrificus, caput assurgit cui turbinis instar
Incultisque riget sertis, frons turget acuto
Tubere, subter hiant orbes, oculique reposti
Interius sedere truces, atque igne micantes.
Talis erat, talemque feri genuere parentes
Hanc igitur sedem monstrum illætabile nuper
Ceperat, his dumis, cæcisque latebat in antris:
Per lucem; at postquam nox intempesta silebat,
Et latè obtentas densabat fusca tenebras,
Horrificas sedes, & fęda cubilia linquens,
Præcipitabat atrox descensum Montis ab alto
Vertice, & immani rabie turgentia quassans
Pectora, mox agros ferus irrumpebat apertos
Væ pecorum stabulis, væ tunc agrestibus illis,

Quos

Quos nec firma domus, portæ non vectibus æreis
Effultæ poterant, non robora sæua tueri.

Hæc Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ alumnus.

Apparet Virgo Deipara cum vtroque Bapt. & Euang. Ioannem deſignatque Franciſco Eccleſiam. §. 7.

ADerat Natiuitatis B. Virginis alma vigilia, Septembris 7. noctiſque illius Angelicus Anſer excubitor in contemplatione diuina moras ducebat inſomnes, quum fulgidus Ales cęlitus lapſus; *Franciſce*, inquit, *perge citò, quia Domina Dei Mater Fratrum in Oratorio te expectat.* Proripitur obedientiæ ſpeculum, & in Oratorio ipſo Paradiſi Reginam, cœlitum choris vtrinque ſtipatam, cum Sancto Præcurſore Baptiſta, & cum Dilecto Domini Ioanne Euangeliſta, reperit. Erat autem Oratorium illud humillimum, lignis & terra conſtructum, eodem ipſomet loco, vbi Eccleſiuncula Virginis hactenus extat. Procumbit Franciſcus ante Genitricis Altithroni maieſtatem, eamque qua potuit pietate hiperdulicè coluit, & adorauit. Quem Virgo benigniſſimè appellans, Eccleſiæ dedit archetypum, locum ſitumque deſignans; longam, quàm latam efficeret, proprijs manibus delineauit. Habes de ijs apud Marcum Fabium priſci Dialogi Montis huiuſce ſcriptorem; habes elogium apud Auguſtinum à Millio, grauiſſimum Virum in ſuo dialogo, habeſque apud Aurelium Sauellium in ſuo Dialogo, tandemque antiquiſſimam traditionem Prouinciæ Thuſciæ calleas in qua rei huiuſce memoria viget.

Ædificiunculam Templi Orlandus aggreditur. § 8.

MAne facto, assumpto socio, Domini Orlandi pręsentiam adit Franciscus, & cuncta quæ sibi elapsa nocte acciderant, Virginis inquam affatum, Ecclesiæque traditum schema, fiducialiter aperit. Cui Heros *Francisce meis hanc sumptibus rem absoluam, quæque velis modo prestò sum agere* Continuò deuotus Dominus opus assumit, & Septembris mense, anno 1216. fundamenta locat, forniceamque anno 1218. ædiculam ad fastigium vsque perduxit. Ast & lapidem in nomine Triadis almę, & sacræ Deiparæ iecit primum, & *Sanctæ Mariæ de Angelis*, Ecclesiam Pater adscripsit, eoque voluit, sibi admodum Sacrosancto, titulo decorari. Hoc igitur humile, atque pauperculum ædificium Dominus Orlandus, Catani de Clusio struxit, & hic iacet eius corpus ante altare maius: eiusque postea filij exteriori Ecclesiæ parieti in porta maiori, Australem versus plagam, arma cum epitaphio *S. Baldassarræ di Francesco de Catani de Chiusi, & suorum* affixerunt.

De

De dijs 2. 3. 4. 5. vicibus, quibus Aluerniam Franciscus venit. Lib. 3.

Redit Portinnculam, vt comitiorum tempus indicat. Cap. 1.

PAtriarcha Seraphicus, ieiunijs sacris, contemplationibus, diuinisque colloquijs Montis initio consecrata, deuotissimo vale dicto, se in Angelicam Regiam recipit, & generalium comitiorum tempus indicit. Quę quidem Pentecostes proximè lapso festo celebrata sunt, anno scilicet 1217. in quorum solemnitate tum Cismontanis cum etiam Vltramontanis partibus Prouinciæ, cum suis Ministris adscriptæ sunt. Idque fuit ex insignioribus, (quin dicam insignius) capitulis ordinis. Attendi fas est, quadragenarium in solitudine factum ieiunium, capituli huius, in quo Prouinciæ partibus singulis, eisque Ministri assignati sunt, fuisse preludium & apparatum. Hanc successoribus B. Franciscus formam dedit, vt ieiunium, & oratio sint auspicia comitiorum, vt eis intersit Spiritus Sanctus, quæque geruntur Deiformia sint, eiusque ad stomachum fiant cũcta.

Aduenit secundò Franciscus Aluernam. §. 1.

SEcundus aduentus in Montem istum fuit per viam Castri Montaguti vbi Beatus Franciscus cum suo intimo, & caro amico Illustrissimo Comite Alberto de Barbolanis dulcis in Domino colloquij moras traxit, & apud eum diuersatus est. In Valle Capresæ tum temporis Ecclesiæ Sancti Pauli noua limina condebantur. Transit Franciscus, & Domum Domini veneratus, opifices videt mæstos: siquidem marmoreum cardinem ponderosum, coaptare non poterant suo loco. Accedit Vir Dei, limenque vt erigant suadet: abnuunt cęmentarij, non iam potuisse queruli, instat Franciscus,

paretur ægrè;(magnum Deum)admouet ipse marmori manum,solusque disposito ponit loco. Marmor inquam tantum,quantum sex poterant(& ij robusti) homines sustinere. Hac stupenda re sic acta, cunctis attonitis,facit vale;Cum autem prope Castrum Capresanũ esset fatigatus ex itinere,ad vires reficiendas,pectori solidæ rupis incubuit,formamque inibi corporis impressam reliquit. Vnde Capresanis populis tanta petræ huius accessit deuotio,pietas orta talis, vt cum aliquis renibus elaborat,fertur,adit ue Rupem,renes applicat, & iuxta fidem, & deuotionem plerumque fit salus. En quidem secundus in Montem accessus, tametsi annũ quo ipse fuit, minimè nobis potuit explorari.

Venit tertiò Franciscus Aluernam. §. 2.

PLebis nobilissimum Castrum Aluernæ subiacet oris,quod Protomartyri Stephano titulari sacratum est; Hàc Vir Dei tertiò Montem venit, & in vestigio, Cerbarolum, milliuscula distans duo, oratorium illi offertur,accipit,construit. Hoc exin euolante ad sydera patre Seraphico;annorum incolatu, Antonius Sanctus à Padua consecrauit.Extat hactenus eius cella, reuerenter seruata,& custodita.

Venit quartò Franc. Aluernam. §. 3.

QVartus aduentus fuit per Florentissimæ Ciuitatis Florentiæ viam, per Montem Poninum, in quo dulcissimum fontem scature fecit, venerabilem cunctisque indigenis sacrosanctum, *La fonte di San Francesco*. Sermone vernaculo nuncupatum tum quoque Batifollẽse Castrum accessit: ibique nobilem Ioannem salutifero Crucis signo illuminauit, qui cæcus diu in summa versabatur ærumna. Illustrissimi Comitis Simo-

monis, qui sacrorum Stigmatum proprio ære sacellum ædificauit, nepos hic erat.

Venit quintò Franciscus Aluernam. §. 4.

VEnit penultimò Pater Seraphicus Montem Sanctum, anno Domini 1220. quum à Syria torsit vestigia, Soldano ad fidem conuerso (licet nondum saluberrima loto vnda) relicto Bononiæ transiens Cardinalem Hostiensem Vgolinum, Ordinis Protectorem, Insubrij Apostolicum tunc Legatum, reperit. Quo cum Assumptæ Deiparæ solemnitate peracta, Camaldulensem Eremum inuisit; mensemq; ibi vnum, almis exercitijs incumbentes, explerunt; in cujus rei memoriam Anachoretæ illi, cellam quam Sanctus incoluit, venerantur hucusque eamque. *La stanza di S. Francesco*, appellant; ijdemque societatis Angelicæ Patres, honoratam habent Natalitij eius annuam celebritatem, nostroque more Antiphonam totam illam *Salue Sancte Pater, patriæ lux, forma Minorum*, cantant. Abhinc igitur Vgolinus, & Sanctus Aluerniam veniunt, & apud Clusium Domini Orlandi hospitio perfruuntur. Exin tandem ingruente iam hyeme, Romam Protector, Portiunculam Pater abscedunt.



Montem vltimò Franciscus accedit, ibique Sacris à Deo Stigmatibus decoratur. Lib. 4.

Visit Aretij alumnum ægrotum B. Benedictum. Cap. 1.

ARetium Thusciæ antiquissima, Illustrissima, & Nobilissima Ciuitas (Metropolis est Aretinæ Diœcesis) olim perfruita libertate sub Florentinorum postea ditionem redacta, inter illas 12. Thusciæ vrbes numerata est. Condita Græcis, tempore Iudicum Israel annum circiter à mundi opificio 2557. opibus viribusq; magnifica Romanis ad belli punici expeditionem tantum, quantum vniuersa, nedum Etruria, sed quasi Italia vix hodie posset efficere, contulit. Fuerunt Aretini præter potentiam maximam (ait Bergomēsis lib. 6. supplem. Chron.) etiam duabus rebus, quibus præcipuè honor, & fama acquiritur, scilicet militari gloria, & literarum studijs semper insignes, multos enim ipsa Ciuitas nobiles, & egregios in re militari habuit, inter quos Vbertinos Ghitiniani Comites Illustrissimos peperit. Multas demum calamitates, & vastationes, & diruptiones per Gothorum, & Longobardorum tempora passa fuit, & murorum apertione immunita per annos multos extitit, vsque ad annum 1330. quo Guido Petramalensis, ipsius vrbis Antistes mœnibus cinxit; quę deinde à Serenissimo Magno Duce Cosimo in meliorem, tutioremque statum redacta sunt.

Huius erat patriæ filius, Dei Seruus B. Benedictus de Aretio nuncupatus in Chronicis, Ordinis Minorum sydus aureum firmamenti. Hic extrema reuersus iam ab Antiochena prouincia, tum temporis, quo B. Franciscus Aluerniam venit, ægrimonia decumbebat Aretij, fatique munus 3. Calen. Septemb. meritorum diues, virtutumque numeris absolutus, impleuit. Meminit Baronius Ann. 1224. *Eo anno*, inquiens, *obijt B. Bene-*

dictus

dictus Arctinus, Diui Francisci professor instituti, 3. Calen. Septembris, apud Aretium Etruriæ, postquam reuersus est ab Antiochena prouinciæ administratione: secumque detulit digitum Danielis Prophetæ Sancto fine quieuit, hoc epitaphio illustratus.

Aretij Benedictus ego Sinigardia proles;
Vates, & sacra Religione Minor.
Assyrij Patres mihi iam paruere Ministro,
Hunc digitum, Daniel quem dedit, ipse tuli:
Nunc viuo in cęlis, patria hęc mea membra reseruat
Inq; meis aris thurea dona ferunt.

Hæc Baronius; ex quibus clarissimè patet, eodem anno, & mense quibus B. Franciscus Montem aduenit, ad quadragenaria in honorem S. Michaelis Archangeli ieiunia celebranda, (quæ post Assumptionem Dei Genitricis die sequenti, sumebant initium) felicem Viri Dei obitum Aretij prope Aluernam, eiusque Dięcesis, contigisse. Liquet autem Patrem Seraphicum, ante anni illius Assumptæ celebritatem peractam, profectum fuisse ad Sanctum Montem per viam Aretij; iter autem à Portiuncula in Aretium Vrbem, dierum dūtaxat binorum est: Euaporarium igitur flammę Seraphicę charitatis, decessurum Franciscus filium visitauit Aretij, quam tū quoque temporis Eumenidum furiantium turbine conuolutam, Crucis virtute sedauit.

Quadragenariam S. Michaelis Archangeli sumit Franciscus inediam. §. 1.

Condensat ieiunia.

QVia templum, recens in Aluerna constructum, Sanctę Marię de Angelis dicatum erat, honorare vo-

voluit plus dicator, Assumptionis festum in eo Franc. celebrans. Incidit anno ipso, quo Vir Dei, stigmata recepit, Assumptionis celebritas, die Veneris; vt latior de hoc extat sermo, in historia Montis lib. 4. cap. 3. quemadmodum, & festum quoque exaltationis Sanctę Crucis, bissextilis ergò, quod sexta etiam feria incidisse in nostro Floreto exactè probauimus, tetigimus in historia Montis, & in Theatro Seraphico. Hunc igitur venerabilem volens habere diem, Arctio priusquam solemnitas afforet, Montem aduenit, latebrasque quęsitans męstas penetrat vnam; ibique alto suppressum corde męrorem, lugubrium spectaculo scissurarum, magnis denuò ploratibus, euaporat. Hinc à diuturno accolatu, *lectum S. Francisci*, vocant spelęum illud, saxumque cratitum, eiusdem Sancti culcitrulam perhibent, quod & signis mirabilium Dominus sępiusculè voluit honorare, vt patet apud historias huius montis. Diluculante tandem Assumptionis die, Franciscus interest sacro, reficitur Libo Deifico, cum socijs in Domino gaudet, eosque ieiunijs excitat inchoandis, hortatur, & vrget.

Aduentu Francisci, volucres gratulantur, Missali aperto voluntas Dei aperitur agenda. §. 2.

AVrora Sabbati rubescente summum fit sacrum, & in eo cętus humillimus vitæ percipit alimentum. *Flagrabat* (ait Bonauentura, cap. 9. legendę) *erga Sacramentum Dominici corporis, feruore omnium medullarum, stupore admirans permaximo, illam charissimã dignationem, & dignantissimam charitatem. Sæpe communicabat, & tam deuotè, vt alios deuotos efficeret, dum ab immaculati Agni degustationem suauem, quasi spiritu ebrius, in mentis vt plurimum rapiebatur excessum.* Bonificabatur Bonagratia; Gratię incrementis heroicis, scandens fastigia summa. Sed notandum ly,

epe

ſæpe communicabat, ergo non quotidie? Erat tamen Seraphicus,& ita Seraphicus, vt excellentia pleno ore, *Seraphicus* à Fidelibus nuncupetur, & tamen, non quotidie ſed ſępe communicabat. Sed neque plures Miſſas in Conuentibus eſſe volebat; non quia non bonum, & Sanctum,& plures eſſe, ſed quia ipſe humilis, humiles eſſe volebat alumnos, indignoſque ſe prorſus haberent altaris acceſſu, vt ipſe Sacerdotij dignitate. *Moneo praterea, & exhortor in Domino, vt in locis in quibus morantur Fratres, vna tantùm Miſſa celebretur in die. Si verò fuerint plures Sacerdotes in loco, ſit per amorem charitatis, alter contentus audita celebratione alterius Sacerdotis.* Conformit. lib. 1. fruct. 12. *Franc. reſtrator.*

Vale facto, Pater ſe à ſocijs proripit ſeceſſicolam, ſuęque ſolo conſcientiæ arbitro ſecum Leone ſuſcepto, tugurio ſe mancipat. Et ecce auiculę denuò (conſule Chron. conform. Speculum, Dialogos, aliaſque hiſtorias) viſitantes, cateruatim vtrinque peruolitant; ædiculę tectum,& latera occupant, intrepidè ambiunt, foris, & intus: & concentu mirifico geſtientes voluptatē nuper illuc Franciſci venientis oſtentant. Sonuit illico articulata vox ibi. *Franciſce*, inquiens, *hoc tibi ſignum, quòd Dominus loco iſto fauorem magnum tibi facturus eſt.*

Explicat cor Franciſci ad Zephyrum almum hunc alas, habenaſque ſericas per cœleſtium Indiarum laxat Oceanum currit vncta carina, Sancti Spiritus vnctione cœpitque altius immiſſiones eius ſuſcipere, ſentire dilectum. *Leo mi care* ait, *Miſſale huc affer, aperitoque ipſum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Explicat Leo codicem venerandum, ſtatimque ſe oculis obijcit, *Paſſio Domini Noſtri Ieſu Chriſti ſecundum Ioannem. Aperi denuò pericula Frater Leo*, inquit paret ab integrò, pandit librum, eademque ſe *Paſſio Domini Noſtri Ieſu Chriſti*, offert. Magnum Ieſum tertiò Euangelium, paſſo volumine, Paſſionis occurrit. *Nunc ſcio verè*, ſubinfert Pater,

quòd Dei voluntas est, vt quàm Passionis Domini memoriam, circa aliud non versemur. Hoc erit exercitium nostrum, hæc nostra occupatio tota.

Præcipit tunc alumno, ne sæcularibus pateat aditus, neque suis. *Nemo ad me accedat, nequo requirat vsque ad 40. dies.* Esdræ lib. 4. cap. 14. *Tu solus mediam sub noctem accedes, vt officium persoluamus: loquère tamen priùs quàm pontem transeas dicasque, Domine labia mea aperies: si tibi, & os meum annuntiabit laudem tuam responderos, transi pontem, & veni, sin autem retro cede.* Erat pons iste Faginis Abiegnisque stipitibus super vastam, & profundam terræ voraginem, & hiatum (non procul à cella Patris) extructus. Siquidem ab Oratorio Fratrum veniri non poterat ad cellã ipsam, quin super fauces cauernæ illius, aperturæ scilicet Montis, fieret transitus: quo circa, ligneus ipse pons factus est, ibi nimirum iuxta locum vbi sacellum S. Antonij Abbatis est hodie. (Meminit pontis huiusmodi, Dialogus Millij, necnon & aliæ Montis historiæ.) *Venies quoque,* statuit Pater, *ad me semel in die, vasculum aquæ, panisque frustrula ferens, meique oro habeas curam: in breui siquidem Christus Dominus mihi sacra Stigmata conferet: in hoc loco taceas Leo, donec eueniat fili.* Hæc lacrymis filio Pater eructat, hæc fidit. Sciebat iam enim Diuinitus illustratus, & ab Angelo Carmelita præmonitus, se stigmata Crucifixi in suo corpore suscepturum. Aperuit fido, Leoni inquam parenti suo spirituali. *Huic Fratri Leoni existenti in Monte Aluernæ B. Franciscus prædixit de sua stigmatizatione in breui futura* Theologus Conformitatum lib. 1. fruct. 8.

Vltra præmissum alia signa stigmatizationis B. Francisci mysterium præcurrerunt. § 3.

MVlta equidem signa, localia necnon, & personalia, præcesserunt, talis ac tantæ prænuntia mirificentiæ. Primum signum; quando Angelus recens natum,

in

in humero dextro Francisci rubeo Taù signauit. Signũ 2. quando abiectis ante Illuminatum Episcopum Assisianum omnino caducis, penula se cucullata contexit, erectaque pyramide, manicis brachia, talarique velantibus hispido corpus, Crucifixi vivam expressit effigiem. Signum 3. quum apud S. Seuerinum, Fratri Pacifico duorum est ensium visus Cruce signatus. Signum 4. quando Frater Syluester eius ab ore prodeuntem auream Crucem vidit. Signum 5. quum Pacificus ipse fulgidum Taù in eius fronte diuersis coloribus variatum aspexit. Signum 6. quum Frater Leo socius eius à Perusij Vrbe ad Portiunculam vsque ad præcedentem vidit Crucifixam imaginem ante ipsum. Signum 7. cũ in forma Crucis ad ostium Arelatensis Monachiij prædicante B. Antonio, apparuit. Signum 8. quum Syriam penetrauit, anno 1217. vt manet probatum in *Monte Seraphico*; visę tum quippe temporis Cruces multæ in Cœlo fuerunt in quarum vna Crucifixus erat: signum inquam, quòd illuc Signifer Christi accesserat. De hoc largius in *Floreto*, & *Monte Seraphico*, & *Theatro*. Signum 9. quando Hispaniam petijt, anno 1213. seu sub finem 1212. vt volunt nonnulli; tunc enim apparuerunt in Cœlo rubeę Cruces, vt præcitatis in libris videri licet. Signum 10. trina Missalis apertio, cum Euangelij semper Passionis occursu.

Signa localia multa stigmatizationem ipsam præfigurantia præcesserunt; eodem videlicet, quo tale prodigium accidit loco. Primum fuit, quando (vt exactè probauimus ex Rodulpho, Renolledo, alijsque) Carolus Magnus Imperator Romanorum, cum ingentibus copijs Romam per Montis Aluernæ transiens oras, grassante in exercitum peste lethali, cęlo cum lacrymis totus incumbens, omnigeni boni largitorem deprecabatur, vt militiam pulso contagio sospitaret. Affuit Angelus, eique sic fatus. *Miseratus Dominus, tuas exaudijt*

dijt preces, & vota. Accedens igitur Montem illum sagittam emitte, herbamque transfixam accipe (ea est Carolina, Hispanicè *Carlina*, Italicè, *l'imperiale*) *redactamque in puluerem, vino mixtam trade potandam, sanescet exercitus*. Accedit Aluernæ fimbriam Carolus, dictoque audiens, telum iacit, exequitur. Herbam illam Francisci arbitror esse carnem, *omnis caro fœnum*; sagittam emissam, Christi philosophos, quibus Francisci traiecit, missilia; stigmatum nec clarum symbolum, & figuram. Signum 2. stigmatizatio illa Saxi, quando ab Hoste impulsus est Diuus, exceptusq; Diuinitus intra Rupem, cui membrorum totiusque figura corporis inhæserunt. Petram vocat Cirillus Carmelitanus in vaticinio, apud Conformitates lib. 1. Patrem, solidaque & firma est, qua Religio nititur Petra, Dominicis eaque manibus stigmatizata. Signum 3. quando apud Capresanam vallem Saxum illud Franciscus Aluerniam veniens, vt diximus, stigmatizauit. Signum 4. in Insula Transimeni lacus, vulgò *Lago di Perugia*, Saxum illud, quod est in littore, hisce oculis visum; cum Vir Dei tempore carnispriuij illuc cymba vectus appelleret, pedes impressit in lapide, vt in Theatro factus est sermo. O quot stigmatizationes, o quot symbola, quæ præludia. Accedunt iis alia quæ sequuntur. Signum 5. scissuræ horribiles Montis huius in Morte Christi factæ: scissus est enim Aluerna totus à summo vsque deorsum. Signum 6. quòd ex iis plures in Crucem fissuræ videntur. Signum 7. quòd monstruositas scissurarum est tota circum circa stigmatum locum: ipseque intra scissurarum est ambitum, reliquo Monte integro & illæso, absque profunditatibus, hiatibus, & scissuris, quæ stigmatum sepiunt locū. Signabant à longè futurum ibi iam tales mysterium indices. Signum 8. quòd Mons hic eleuatur vt signum in medio quatuor fluuiorum, qui Crucem formant, & exprimunt. Signum 9. quod superficies Montis est quadra,

dra, quæ quadri lateram Crucem præfert. Vnde patet, quod inferior Crux, superior quoque Aluerna sit Crux: non quidem artificis imi, sed Omnipotentis dextera sic formatus. Signum 10. est saxum quod in aere ferme se librat; symbolum vtique admirabilium extasum atque raptuum, quos in hoc Monte Franciscus habuit, cunctis alijs celebriores. Non enim legitur vt alibi sic stupendos ille sit passus, vt ibi. Inuentus est enim non sępe sed sępius raptus in aera, tam sublimis vt oculorum acies ægrè pertingeret iuspectandum. Audias Chronicam par. 1. lib. 1. cap. 83. *Sollevandosi egli tal volta più alto d'vn grand'albero; e tal volta si alto che vista humana nol poteua arriuare.* Agit de loco Aluerna non quidem de alio, vt exprèsse ibi legitur. *In quadragesima Angelorum, quam fecit in Monte Aluernæ ipse Frater Leo aliquando respexit Beatum Franciscum eleuatum à terra per tantum spatium; quòd poterat tangere pedes eius. Aliquando inuenit eũ vsque ad medios fagos eleuatum: & quandoquẽ inuenit eum in tanta aeris altitudine, quòd vix eum videre poterat.* Hæc Pisanus, in Conform. lib. 2. fruct. 3. & lib. 1. fruct. 8. idipsum versat: *aliquando,* inquiens, *in tanta altitudine eleuatum eumdem conspexit, quòd vix eum poterat visu attingere.* Ecce iam Saxi pendentis in aere figuratum. Signa eccere, quin & mentium quoque Diuinitus infusarum præsagia, vaticinia, nuntia precessere.

Vaticinia quoque precurrerunt Francisci prænuntia stigmatum. §. 4.

Fidelis Deus in cunctis promissionibus, & verbis suis iuxta Prophetæ Amos elogium, non facit verbum nisi ad seruos suos secretum reuelauerit: nec fecit quidem sic rarum prodigium sacrorum suę Passionis stigmatum renouationis quin ad seruos suos antea reuelaret. Siquidem inter arcana Apocalypseos illa mysteria, Anacho-

Anachoretæ Seraphico in insula Pathmos, anno salutis 97. Franciscus Passionis insignijs decoratus, diuinitus ostensus est; quem cum in spiritu vidisset, istæc in verba rumpens ait. *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei viui.* Apocal. 7. Rupertus, Aimon, & Ansbertus Christum; Ribera in Commen. super Zachar. cap. 3. & Pereira, in cap. 7. Apocal. aliquē ex cęlicolis arbitrari vidētur hunc Angelum: Ast Ambrosius, Rupertus, Ansbertus, Ricardus, & alij penitus inficiantur. Imò Ambrosius Christum ante suam Passionem esse opinatur. Anselmus, Beda Primasius, Aimon, Ricardus, & alij Christum resuscitatum. Aurelius & Nicolaus de Lira, Constantinum Magnum: Victorianus, & Gagneius Eliam Prophetam rati sunt Angelum hunc fuisse.

Verùm Seraphicus Doctor Bonauentura, referentibus Diuo Bernardino de Senis in Euang. ęterno serm. 60. cap. 1. §. 7. locisque alijs Vbertino à Casale in Arbore lib. 1. cap. 3. Bernardino de Bustis in Rosar. par. 2. serm. 27. Magistro Theologo Conform. lib. 1. fruct. 1. Beatum Franciscum indubitanter asserit esse hunc Angelum. Et in Prologo maioris legendę: hæc habentur: *Vidit, ait Ioannes in Apocalypsi; alterum Angelum ascendentē ab ortu solis, habentem signum Dei Viui. Hunc Dei nuntium, amabilem Christo, imitabilem nobis, & admirabilem mundo, Seruum Dei fuiße Beatum Franciscum indubitabili fide colligimus.*

Adstipulantur atq; subscribunt, Leo X. Pont. Max. in Bulla Vnionis, quę incipit, *ite & vos in vineam meam*, dicens *Ad vineam suam excolendam, primo manè, oriente iam sole, misit ipse Paterfamilias Angelum illum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui Beatum Franciscum.*

Adstruunt S. Bernardinus, Vbertinus, Bernardinus de Bustis, Bartholomęus à Pisis, Aluarus Pelagius Cardin. S. R. E. de plan. Eccles. lib. 1. art. 67. Neapoleo Cardinalis Legatus in suis literis, *Almus Christi Confeßor*,

vt

vt in Theatro videri licet. Abbas Ioachin in Apocal. Marcus Episcopus Portuensis in Chron. par. 1. Prolog. 2. Rodulphus Episcopus Senogalliæ, in vita S. Franc. lib. 1. Iacobus à Voragine Episcopus Genuēsis serm. 2. B. Franc. Cornelius Mussus Episcopus Bitonti de Diuino amore lib. 2. Didacus Arze Archiepiscopus Tranensis serm. B. Franc. Robertus à Licio Episcopus Aquinatensis serm. de Sacris stigmatibus. Doctor illuminatus Franciscus de Mayronibus, serm. de stigm. Ioannes Grisch serm. B. Franc. Antonius Feo, in tractatu de S. Fran. discur. 1. Pelbartus à Temesuar in Pomærio serm. 6. Gilbertus in Apocal. cap. 2. Leonardus Vtinensis, serm. S. Franc. Ludouicus à Rebolledo in Chron. par. 1. lib. 2. cap. 19. Hieremias Buchius in Conform. lib. 1. pag. 23. Didacus de Vega in *Paradiso gloriæ Sanct.* serm. S. Franc. Henricus Sedulius in Comment. Biga salutis serm. de stigm. Ioannes Contractus. serm. S. Franc. Petrus Valderrama in Theatro serm. 2. Doctor Ruizius Mansus Cathedraticus de prima in Complutensi vniuersitate, publicè esse hunc ipsum Angelum B. Franciscum strenuissimè propugnauit, anno Domini 1615. & postquam in assertionibus gloriosissimis triumphauit, doctissimum eius sapientia edidit quodlibetum, Beatum Franciscum claritsimè probans Angelum fuisse sexti signaculi *habentem signu Dei viui*. En habes mi candide, Christi, Signiferum Patriarcham Franciscum, à Ioanne Apostolo prophetatum: verum est igitur: *quia non facit Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas*: Amos 3.

Sacrum Volumen sensifluum quidem est, vnus idēque plures continet sensus locus. Quamobrem Paulus ad Galat. 6. cum ait. *ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, de hisce est quoque fatus stigmatibus, de iisque propheticum prompsit verbum Decretalem Nicolai 3. Pont. Max. *exijt qui seminat* lustra, quæ sic habet. *Hæc*

est apud Deum, & Patrem munda; & immaculata Religio, quæ descendit à Patre luminum, per eius Filium exemplariter, & verbaliter Apostolis tradita, & demum per spiritum Sanctum B. Francisco, & eum sequentibus inspirata. Hæc est, cui attestante Paulo, nemo de cætero debet esse molestus, quam Christus Passionis suæ stigmatibus confirmauit, volens institutorem ipsius, Passionis suæ signis notabiliter insigniri Pelbartus in Pomærio ait. *Tertiò euidentius in nouo Testaméto, Apostolus, ad Galat. 6. ego inquit stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Quibus Paulus fert testimonium B. Francisco, vt dicit Nicolaus Papa de verborum significatione, exijt qui seminat, lib. 6* Hæc ille serm. 70. Pomærij. Et Doctor illuminatus, serm. 1. stigm. *Tertium,* inquit, *testimonium est B. Pauli ad Galat. 6. Mihi auté absit gloriari nisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi; & sequitur: ego enim stigmata Domini Nostri Iesu Christi in corpore meo porto. Quod non videtur dixisse in persona sua, quia licet fuerit à Christo confixus mente, non tamen corpore. Et ideo dicit Princeps Ecclesiæ Summus Pontifex; quòd Paulus ferebat testimonium B. Francisco, cui attestãte Paulo, nemo de cętero debet esse molestus, quem Christus stigmatibus suis consignauit.* Magister Theologus Conformitatum lib. 1. conform. 1. *fuit,* inquit, *B. Franciscus declaratus per Apostolum Paulum; qui etsi diceret de se ipso propter verbera, Christi amore pluries accepta: ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto; de nullo tamen possunt præfata veriùs dici, quàm de B. Francisco. Et si dicatur, habuit ne Paulus spiritum Propheticum? Respondetur quòd sic, quia raptus fuit vsque ad 3. Cælum. Hoc idem patet ad Thessalonicenses, & alijs vbi videtur, &c. & in Act. Apostolorum ostenditur spiritum Propheticum habuisse.* Habes en duo insignia maximè de B. Francisci stigmatibus vaticinia. Quin & vltra, Ioachim Abbas, Florensis Cœnobij, Ordinis S. Benedicti, ex Calabria oriundus, vir in diuinis scripturis admodùm solers, suoque tempore creditus vates, centũ propè annis quàm esset Franciscus in rerum natura, multa de illo ante deprompsit; quæ rerum postmodũ

cxi-

exitus verissima cõprobauit. In Apocalypsim, illa cap. 7. verba. *Vidi alterum Angelum ascendentem &c* exponendo, ait. *Veniet homo, qui erit insignitus, characteribus Iesu Christi*. In cuius rei confirmationem, Beatum Franciscum cum habitu, chorda, & quinque stigmatibus, amussuato fecit opificio in Ecclesia Cathedrali Venetiarum depingi, vt hactenus patet oculis. Vaticinatus est insuper Virum Dei Carmelitanus Cirillus, de quo Tritemius, alijq; tradunt, quem sub Philippo, & Othone, circa annum 1200. floruisse perhibet Ioannes Riocho in Compendio tẽporum, lib. 4. cap. 53. Refert Theologus Conformitatum, lib. 1. eius vaticinium quin, & Sibillę, & Polycarpi, de B. Francisco, habesq; apud Annales Ordinis par. 1. Prophetauit tandem de sacris stigmatibus Angelus Carmelita Martyr illustris, dum Romę ageret Ecclesiasten. Verum est igitur, quia non facit Dominus verbum, quin reuelet ad seruos suos.

Apparet Francisco Deus in flamma ignis. §. 5.

NVDVS, VIGIL.

Ardens totus crebra dat suspiria.

EBrius dulci mero amoris Iesu totus ardet feruetq; medullis, erga ipsum in Cruce pendentem Franciscus sanguis ebullit, æstuant intima, cordisque spiracula flammas euomunt. Sentit enim charismata noua in anima sua benedicta, trahit iccircò ab imo suspiria, & frequenter in aere non modò mentaliter; verùm & corporaliter eleuatur à terra; in somnes ducit noctes, totumque Iesum visceribus texit mortuum, vulneratum transfixum lancea; absorptus in illum, marmoris

instar extaticus hęret cœlo, sistit immobilis, & quanto diuinæ gratiæ dona cumulatius sentit tanto sublimius eleuatur. Accidit autem (hęc sūt verba sociorum eius, ex Speculo Sancti Francisci à Fabiano, & Hugelino cōscripto, cent. 2. cap. 9.) quòd Frater Leo ad Matutinum sub mediam noctem iret in Cellam B. Francisci, diceretque. *Domine labia mea aperies.* Nemo respondet; Leo se propius agit, ingeminat non respondetur. *& os meũ annunciabit laudem tuam.* Audet vlteriùsque progreditur, ingredienteque lunę splendore per ostium cellę, deprehendit, Franciscum in ea non esse. Hinc inde respiciens arrectisque auribus adstans, audit eum loquentem. Accedit propè vt audiat quid Sanctus dicat. Et ecce videt eum genibus flexis, facie in cęlū erecta, manibusq; eleuatis orantem, & dicentem. *Quid es tu, dulcissime Deus meus? & quid sum ego vermiculus, & paruus tuus seruus?* Et hoc sæpe replicat. Tunc Leo respiciens fixius, inter arbores vidit flammam pulcherrimam valde fulgentem, & delectabilem oculis, descendentem à summis cœlorum vsque ad caput Beati Francisci: & ab illa flamma vox egrediebatur, & loquebatur cum ipso; & ipse Sanctus respondebat voci loquenti. Frater Leo vidēs hoc, sedit retrò, timens ne impediret B. Franciscum in tam mirandis arcanis, ita quòd audire non posset, quæ dicebantur. Vidit tamen quòd Sanctus Franciscus extendit manum suam ter ad flammam prædictam; flamma verò recedente, Frater Leo incepit redire planè, planè, ne sentiretur à Sancto. Sensit tamen sonitum pedum eius, propter aliqua ligna syluæ, dixitque Franciscus. *Præcipio tibi, quisquis es, in virtute Domini quòd stes fixus, nec te moueas.* Statim Frater Leo stetit, & ait. *Ego sum Pater.* Et dixit postea Frater Leo alijs Fratribus, quòd tunc fuit tanto timore perterritus, quòd si terra se aperuisset, libenter abscondisset se; timebat enim, ne si Sanctum offenderet, gloriosam societatem eius amitteret. Nam

tanta

tanta erat fides, quam in Sancto habebat, quòd sine ipso nullo modo confidebat viuere vnde non mirum est, si territus ad vocem ipsius fuerit. Quem S. Franciscus recognoscens dixit. *Frater pecorelle ad quid huc venisti? Nonne dixi tibi multoties, quòd me explorando non vadas? dicas mihi per obedientiam si aliquid videris.* Respondit. *Pater, audiui te loquentem, & cum multa admiratione orantem frequenter, & dicentem. Quid es tu, dulcissime Deus meus? Et quid sum ego vermiculus, & paruus seruus tuus? Et tunc vidi flammam ignis descendentem de cęlo, & tecum loquentem, & te pluries illi respondentem, & manum tuam illi tertiò extendentem. Sed quid tunc dixeris ignoro.* Et genuflexus Frater Leo cum magna reuerentia, rogauit Sanctum Franciscum dicens. *Rogo te Pater, vt exponas mihi verba quæ audiui, & doceas etiam ea quæ non audiui.*

Declarat Franciscus Fratri Leoni visionem cęlestem quam habuit. §. 6.

Diligebat B. Franciscus Frater Leonem ob eius puritatem, & mansuetudinem, idcirco visionis arcana detexit, dicens. *O Frater pecorelle Iesu Christi, in ijs quæ vidisti, & audisti erant mihi aperta duo luminaria, vnum de cognitione Creatoris, & aliud de cognitione mei ipsius. Quando enim dicebam, quid es tu Domine, & quid sum ego? tunc eram in quodam lumine contemplationis, in quo videbam profundum lacrymosum vilitatis meæ, & abyssum infinitæ bonitatis Diuinæ: propterea dicebam; quid es Domine, summè sapiēs, summum bonum, & summè clemens, vt visites me, qui sum summè vilis, & vermiculus vnus modicus abominabilis & despectus? Illa verò flamma erat Deus, qui in specie illa mihi, sicut Moysi, in flamma ignis loquebatur. Et inter alia quæ mihi tunc Deus dixit, petijt à me, vt ego sibi oblationes ter facerem: cui respondi. Domine ego sum totus tuus, & nihil habeo nisi quo tegor amictum, & hic tuus est; quid ergo potero magnitudini tuæ Dominationis offerre? Nam cælum, &*

terra, ignis, & aqua, & omnia quæ in eis sunt, tua sunt Domine. Quis enim habet quicquam non tuum? Quæ ergo tua sunt reddimus tibi, cum aliquid tibi offerimus. Quid ergo potero tibi offerre, Domine Deus cæli & terræ, & vniuersæ creaturæ? Et tunc Deus dixit mihi. Mitte manum tuam in sinum tuum, & affer mihi quicquid inueneris. Quod cum fecissem inueni vnam monetam de auro, tam magnam, & tam fulgentem, & pulchram, quam nunquam viderim in hoc mundo, & tunc obtuli illam Deo. Dixit verò mihi iterum Deus: offer mihi iterum sicut prius. Ego autem dixi: Domine ego non habeo, nec amo, nec volo nisi te: & propter amorem tuum despexi aurum, & omnia vnde si aliquid in sinu meo inuenitur, tu posuisti illud; & Dominatori omnium reddo. Et hoc feci ter: & facta trina oblatione, ego genua flexi, & benedixi Deum qui mihi dedit quid offerre valerem. Et statim fuit mihi datum intelligere, quòd illa trina oblatio figurabat auream obedientiam, altissimam paupertatem, & splendidissimam castitatem, quas Deus per gratiam suam, dedit mihi ita perfectè seruare, quòd in nullo me conscientia reprehendit. Et sicut quando mittebam manum in sinum, proferebam, & reddebam illas monetas ipsi Deo, qui illas ibidem posuerat; ita dedit mihi Deus potentiam in anima, quòd de omnibus mihi bonis ab ipso, per suam Sanctissimam gratiam concessis, semper cum ore & corde, laudo, atque magnifico. Hæc igitur sunt verba quæ audisti, & manuum extensio quã vidisti. Sed caue tibi Frater pecorella, ne vadas me deinceps explorando, & reuertere ad cellam tuam cum benedictione Dei, & habeas de me curam solicitam: nam ad paucos dies faciet Deus (Ecce quomodo iam sciebat) *tam stupenda mirabilia in hoc Monte, quòd admirabitur totus mundus, facietque noua quędam, quæ nunquam in hoc mundo fecit alicui creaturæ.* Tunc Frater Leo recessit consolatus valde.

Mi-


Mirabiles Francisci raptus, eiusque vertici scriptura aurea cernitur. Hic est gratia Dei. §. 7.

Mentem sursum agitur.

CHristi Iesu fidelissimus seruus, & amicus Franciscus, vti vicinior lapis centro velocior, amasiæ gremio Crucis allabitur; diuinæ charitatis ambustus incendio, creberrimè tollitur, solitoque frequentiùs sub ardua cœli penetralia rapitur. Passer in aere paruus interdum, aquila sæpius exploranti videtur alumno. Est super arduam, quæ Montis labro imminet, rupem, specus exigua; vnde Leo commodè poterat cuncta videre. Hic ipse Franciscum sedet explorans libratumq; tuetur in aere, splendore mirifico circumseptū, eiusq; super caput, luminis radium cœlo porrectum, & in radijs medio schędam aureis literis pellucentem hisce inquam HIC EST GRATIA DEI. Lectitat obstupetque Leo; humectans lacrymarum fluuio sinus, & genas, Seraphicum illo vultu Seraphico coruscantem, à solo sublimem, tensis in Cruce brachijs, ab imo suspirijs tractis pectore, sonoris cum tunsionibus, humo pronus ingeminat; *Deus propitius esto mihi miserrimo peccatori.*



Franciscus languens in Crucifixo Iesu. §. 8.



Super gestis Crucis plorans.

TEnerrimus amator Iesu, eiusque affixi ligno tenacissimus amplexator Franciscus, à lucis exordijs vitæque primordijs, per Crucis tramitem semper incessit, animamque papauere soporauit, affecit absynthio Passionis ita vt assidua Crucis impressæ memoria, aceto & felle potatus, amaritudinis pastus edulijs, palleret aspectu, lacrymis ora iugibus humectaret. Erat quidem cor eius rupes illa Caluarij in eo siquidem per compassionem dulce lignum dulces clauos, dulcesque sustinens pondus, arborem fixum erat. Rupes vtique Seraphica erat Caluarij rosei, cor Francisci, scissum riç Golgothæ more, qui (vt suo loco fit sermo) exhalante Altissimo animam, dehiscit scissum inquam affectuosissima compassione eiusque pectus & viscera, Passionis quædam Christi tragediæ mappæ erant.

Dudum iam, plurimorum elogio, vulnerati Iesu dolores intus in membris, Franciscus senserat: tùm maximè, cum in Transimeni lacus insula Perusina, quadragesimam illam ferè impastus absoluit. Annis elapsis in conuentu ipsius insulę fuimus, & ex Archiuio multa desumpsimus, quę nostro Theatro Seraphico opere pretium duximus inserì. In hebdomada Passionis Dominicę, ęstuante amoris incendijs eius anima, nudum sese arbori, corona cum spinea in capite, tensisque in Crucis effigiem brachijs, aptans, noctes integras, perseuerauit, clamando in cœlum eiulans, & singultans. Tunc vidit Franciscus cœlos apertos; tunc sensibiles Passionis dolores perpessus est acres; tunc magis à Domi-

mino cumulatus eſt donis. Eodem anno (ſequenti videlicet menſe Septembris) Aluerniam venit, vbi totũ ad ſumma ſe Crucis faſtigia prouehens maturiores ex ea fructus excerpſit. Erat, vt diximus, annoſa proceraque Fagus, eo met loco, quo nunc Sacrorum Stigmatum extat altarium eoque ipſo quo Pater à Domino Sauciatus eſt loco, ſub cuius tegmine, Cruce omnibus cum Paſſionis Myſterijs ligneis, fixa, oratorium ſtruxerat, vbi ſe totum lacrymis diu noctuq; ſoluebat. Quòd Fagus hic fuerit, eiuſque ſub tegmine oratorium Franciſcus habuerit, ecce teſtes. *Conſtruxerat ſibi Beatiſſimus Pater Franciſcus non longè ab hoc Sacello, dum adhuc intra cellulæ limites teneretur, ſub procera Fago, oratorium, in quo integras in oratione noctes conſumere aſſueuerat; Ad hoc igitur in feſto exaltationis S. Crucis paululum ante Auroram orationis ergò perrecturus maxima luce circumfuſus, &c.* Rodulphus in hiſtor. Seraphica, cap. 2. Hiſce met verbis vtitur Epiſcopus Mantuanus in Chron. par. 2. Id ipſum Marcus Fabius, Auguſtinus à Millio, & Aurelius, in Montis Dialogis atteſtantur.

Hac ſub arbore, *arbor, illa; decora & fulgida, ornata Regis purpura electa digna ſtipite, tam ſancta membra tangere*, Crux dum eſſet, coram ipſa Franciſcus orabat, adorabat, ſalutabat, oſculabatur, amplexabatur. Ibi cum mœſto, ac triſti Ieſu, mærore conficitur, & triſtatur, ibi Angelum Dei magnalia reſerantem, & calicem Paſſionis Domini eius animę propinantem, excipit, contuetur affatur: ibi mœrores terque quaterque felicis anguſtiæ ſæpe deguſtat, Hortumque illum cruentis ſudoribus emadentem locus hic præfert.

Hac ſub arbore capitur ei Ieſus, ligatur & truditur: hac ſiſtitur Annæ Pontifici, recipit alapam, eaque ſuis ab omnibus manet Diſcipulis deſtitutus. Hac præſentatur Cayphæ, blaſphematur, colaphizatur, velatur, ſputis fędatur, ſtringitur manicis, vinculis alligatur. Hac

proh

(proh nefas) cum falsis testibus fit processus, hac audit Franciscus in raptu clamores, & voces, *Reus est mortis*, dicentium scelestorum: hac & strepitus, hac tumultus; Quin & hac, testificantes nequam; *hic dixit possum destruere templum Dei, & in tribus diebus redificare illud*. Trahitur Iesus mittitur ad Pilatum, alba illuditur ab Herode, flagellatur, cruor stagnat, vepribus redimitur, & cum ludibrio Maiestatis Regiæ, indutus inquam purpura, Sceptri vice arundinem gestans manu, exponitur populo Ecce homo. Hàc tandem sub arbore fertur sentẽtia, destinatur amaro letho, verusq; Isaac funesto onustus ligno myrrhæ superat labans Montem. Lamentantur, & plangunt piæ Matronæ, post eum lacrymans turba venit, Materq; obuia patitur in via deliquium; Heroina Seraphica arcis Magdali Domina, lugubris illius effecta, tragediæ choriphæa, pretiosas in itere lapsas, altùm perflens Cruoris Dominici sequitur stillas radens, stipiti demum affixus aceto, potatur & felle, exhalat animam, luget orbis. His igitur pius Franciscus, amator egregius Crucifixi, *super gestis Crucis plorans*, insomnes noctes, diesque ducit impastos, alienus à sensibus, totus languens Iesu, liquefactus totus, corpus Aluernæ, spiritus Golgothæ.

Apparent Christus Francisco priuilegia impertitur. § 9.

Fructum implorans.

Seraphicæ flammæ clibanus ardens intus, euaporariũ quærit extra, quò vis erumpat incendij. Franciscus inquam æstuans altùm, superno ambustis ignis præcordijs, Leonis hortatu se foris alumnis exponit, communicat,

nicat, & solatur. Erat procera Fagus ibimet, vbi cella constructa fuit, quam hodie alij Cellam S. Francisci, alij S. Mariæ Magdalenæ, alijque Capellam Cardinalis nũcupant. In hac sępius fiebat ignis hyeme, hac in Cella solitum Diuum cum socijs vesci: vnde lapis ille, craticula ferrea communitus, Mensa Sancti Francisci hactenus appellatur. De Fago extat in marmore testimonium. *Anno Domini 1225. Beatus Franciscus sub hac arbore sæpe cum gratiarum actione, & lætitia spiritus comedit, & circa festum exaltationis Sanctæ Crucis Seraph ei in huius Montis latere (vbi nunc est Cella Crucifixi) apparuit, & tunc corpori eius stigmata Domini Iesu Christi mirabiliter impressa fuerunt.* Marmor istud antiquissimum est, videsque muro eiusdem Cellę constructum. De lapide autem illo, Mensa S. Frãcisci vocato extant eodem in lapide instar epulariæ tabulæ quadrilatero, hęc insculpta verba. *Mensa Beati Frãcisci, super quam habuit mirabiles apparitiones, Sanctificansque ipsam fudit oleum desuper dicens. Hęc est Ara Dei.* Habes Augustinum à Millio in suo Dialogo lib. 1. cap. 4. Sauellium cap. 6. Gonzagam in Chronica, ibi de prouinc. Thuscię; Antonium Dassa in tractatu Stigmatum Marcum Fabium in suo Dialogo, &c. omnes Mensam Sancti Francisci antiquissimę traditioni inhærentes, nuncupant ipsum lapidem. Querulo igitur almo seruo, suaque de Religione sollicito, (cum lacrymis, & suspirijs ità fanti. *Deus meus, Saluator meus Iesu; quid erit post obitum meum de Religione, quam tua benignitas mihi peccatori indigno commisit? Quis, dicito, quis eam reget, & proteget?*) Christus apparuit, & super lapidem sedit, & ait. O homũcule, o, pauperculè, quid affligeris, quidue męres? *Fecisti ne tu Religionem, an ego? Feci ego; meumque est regere, ipsamque protegere.* Tunc largitor amplissimus gratiarũ, quatuor Seruo concessit insignia: de quibus Marcus, Chron. par. 1. Chron. Franciscus Mayronius Doctor illuminatus, serm. 5. Fran. Pelbartus à Temesuar, serm.

5. Gon-

5. Gōzaga, par. 2. Speculum S. Fran. cap. 82. Augustinus Millius in suo Dialogo lib. 1. cap. 5. Marcus Fabius in suo Fioretum, Conformitates, & plusquam 20. Auctores affirmant. Orantem igitur sub hac Fago suæ Religionis fructum à Domino implorantem, priuilegiorū huiusmodi largitate donatum, Christus affatur. *Quicumque diliget ex corde Ordinem tuum, Francisce, diuina benedictione præuentus, vitam suam feliciter consumabit. Quicumque persequutus fuerit Ordinem istum, punietur à Deo. Quicumque male vixerit in Ordine isto; aut emendabit se citius, aut Ordinem exibit, perseuerare autem sic male viuendo nequibit in Ordine quin vomatur. Additur ijs quoque aliud, quod Religio tua ad iudicij vsque diem præstitura est.* Hæc vbi dicta dedit Christus euanuit ab oculis eius; mansitque humillimus Patriarcha lætabundus, & gaudens, in Spiritu Sancto iubilans, & exultans. Monitum amabò velimus candidum nostrū Lectorem, traslationem huiusmodi rei huc gestam, cōtra in *Monte seraphico* lib. 3. cap. 16. seriem concinnatam; adscriptum scilicet aduentui primo apparitionis huiusce mysterium deprehendet, hic en sexto: nobiscū siquidem non pugnamus, quandoquidem ibi aliorum bonam, hic aliorum amplectimur meliorem consultiùs opinionem.

Ablui iubet Franciscus lapidem, aqua, vino, oleoque, balsamo. § 10.

DIsparente Domino, suum Franciscus Leonem compellat, aitque. *Pecorella Dei Frater mi Leo, laua citò lapidem istum aqua.* Rumpit morulas, abluit, tergit. *Laua,* inquit, *Lapidem ipsum mero.* Illicò diluit. *Laua oleo Frater Leo.* statim lauit. *Agedum dilue balsamo Pecorella.* *Unde nunc balsamum,* ait Leo, *mi Pater?* Interno tum spiritus incremento, cordis spiracula fumigabant, solutisque organi fibris animæ rūpit in lacrymas ita fando.

Bene-

Benedictus Deus, & Pater Domini Nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. En hodie nostrum Ordinem nobilitauit priuilegijs inclytis, quatuor in quâ (retulit omnia extensiuè) *quibus erga nos Fratres Minores amorem, & beneuolentiam ostentauit. Ea sunt igitur ablutionum, quas tibi Frater pecozella, præcepi, motiua, ea sunt causa ipsa ratio*. Lauacrum huiusmodi à tribus socijs; à Marco, in Chron. 1. par. lib. 2. cap. 37. à Pisano in Conform. lib. 1. à Mariano, Gonzaga, Reuolledo, Cetica in suo Dialogo, alijsque pluribus æternatum, scriptisque inuenimus consignatum.

Tribus hic lapis decoratur nominibus. *Lapis Repromissionis*, à Theologo Conformitatum lib. 1. fruct. 8. in margine: nec non in indice litera L. & à Patre Antonio Dassa in tractatu stigm. cap. 3. fol. 56. *Mensa S Francisci* (quia super ipsum lapidem comedit interdum) à tribus socijs, à Dassa, à Domino Gonzaga à Cetica, à Sauellio, alijsque scriptoribus Montis rerum vocatur, & literis, quæ ipsa petra leguntur insculpta; *Mensa S. Francisci, super quam habuit mirabiles apparitiones, Sanctificansque ipsam, fudit oleum desuper, dicens. Hæc est Ara Dei*. Et hoc est tertium quo gaudet nomen.

Sedisse autem Christum in ipsa petra Cetica in Dialogo lib. 1. cap. 4. Marcus Fabius in suo Dialogo, Sauellius tandem in suo, testantur ijs verbis. *Quella pietra la quale si domanda la Mensa di San Francesco, sopra della quale più è più volte gli apparue Nostro Signore Giesù Christo è sedendo sopra detta pietra ragionaua familiarmente con lui, e li reuelò gran cose.*

An-



Angelus Franciscum, vt se ad patientiam præparet admonet. §. 11.

Mœrore conficitur.

ALbuit alma dies vigiliæ Sanctę Crucis, 13. Septembris, quo Signifer Christi Iesu B. Franciscus extatico raptu cœli Regiæ penetralibus inuectus, arcana mirifica sentiens, Beatifici iubaris lumine collustratus, roreque Deifico madefactus, supernas delicias degustabat. Redit à Superis, adest Aliger, osque ijs roseum verbis soluit. *Aueto: Francisce præpara te, inquit Dominus, ad patientiam, quia in persona tua mirabile perpetrabit.* Respondit Franciscus. *Ecce Domini vile mancipium, fiat de me quicquid placuerit Maiestati suæ.* Assiluit Francisci præcordijs mæror, & angor, totumque animi spatium, densę tristitię turbine caligauit. Sistit anxius, hæret, cogitat, atque ruminat Sanctum fatum. Alternant intimis; felicitatis præludia quin & omina sortis inclytæ flammæ medullis, calent, scintillantque, ardēt. Iouis erat lux illa, exaltationis excubiaria Crucis almę; siquidem (vt diffusè actum est in Floreto nostro, & in Theatro stigmatum) bissextilis ergò, anno illo in Veneris diem, incidit festū Crucis; iure quidem optimè congruo, eodemmet die, quo Redemptor occubuit, emersit in prælia, cum armis cęlestibus Crucifixi, Signifer inclytus Redemptoris. Et hoc noe mirificum, mysterijs effluit, scatetq; pietatis fidei Sacramentis. Accedit igitur Leo Frater, & Pater à secretis animę singularis, & fidus; mæstum inuenit, & lugubrem, affatur, & ait. *Habeas curam de me fili mi, Frater & Pater Leo, solicitam curam gere de me, quam citius enim faciet mihi magna qui potens est, & Sanctum nomen eius.*

Per-


Perflent ambo, melosque Caluarij Sacrosanctum ad inuicem, & vicissim pangunt lacrymis, instat fatum. Fatum inquam non Ethnico more fatum, sed ab initio iam decretum, atque sancitum apud Sanctissimæ Trinitatis comitia, Sacramentum. Magnale videlicet opus illud, vt rememoratiuo Passio Domini signo, Fidelium cordibus ingerat, ipsisque abintegrò referat Illustrissimum monimentum. Parat, & apparat se Franciscus, conscientiam puram elucidat, noua, quam lacrymabili confessione, recipit, gratia. Cedit Leo, sed non recedit, die tota, nocteque pariter excubat anser vigil, in specu enim illa Saxi, quod imminet, *La grotta di Fra Leone* vocatur arrectis auribus, intentusque habens ora, solertius adstat.



De

De Stigmatione B. Francisci. Lib. 3.

De Christi descensu. Cap. I.



Ad quem venit Rex è Cælo.

APparuit gratia Dei Saluatoris Nostri Iesu Christi, qui propter eximiam charitatem suam qua dilexit nos, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autē Crucis, liberauit nos potestate à tenebrarū, volensq; vt ponamus eum vt signaculum super cor nostrum, beneficijque talis ac tanti vigescere nostris animis Sacramentum, Anno à saluberrimo Virginis partu 1224. sedente Honorio 3. Imperante Federico 2. Hispaniæ Ferdinando Galliæ, Philippo Aragoniȩ, Iacobo Lusitaniæ, Santio Scotiæ, Alexandro Vngariȩ, Andrea Bohemiæ, Primislao Angliȩ, Henrico Hierosolymæ, Brennæ Regibus; de Cœlorum sublimitate descendens, portènto mirifico, manibus, pedibus & lateri Serui sui Francisci, Passionis insignia, realiter, ac visibiliter in hoc Sacro, & Sancto Monte ad inflammandum corda hominum sui amoris igne impressit.

Raptus in æthera noctem integram, totus igneus, totus feruidus, Pater expenderat, sensuumque recens munijs restitutus orauerat, quum diei crepusculum circiter, supra caput intuitus, cœlum dehiscere lucisq; roseæ turbinem videt ingruere. *Pauor tenuit me, & tremor* (Iob. 4.) *& omnia ossa mea perterrita sunt. Et cum Spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum: imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audiui.* Fari poterat Sanctus Heros, attonitus repentino spectaculo, dumque panditur do-

mus

mus Omnipotentis Olympi. Non vtique agnoſcebat vultum eius: in peregrina ſiquidem forma, nempe Seraphim, Christus allapſus, magnale, mirificum, Serui oculis obiecit oſtentum.

Audiendus non eſt Angelum fuiſſe ſomnians, qui B. Franciſco contulit ſtigmata. Ieſus Chriſtus Filius Dei in propria perſona fuit: *Crucis apparet hoſtia, tenſis in Cruce brachijs, ſex alis tecta varijs, cum vultus elegantia, quæ Franciſci cor attrahit, augens ei chariſmata, ſuaque ſacra ſtigmata in eius carne protrahit.* Canitur in offic. S. Franciſci. Ecquis hoſtia Crucis fuit niſi Chriſtus? Gregorius IX. in ſuis Apoſtolicis literis (apud Monum. ord. tract. 1.) *Quid vltra? Nec in Chriſto, qui Sanctum eundem manibus, pedibus ac latere huiuſmodi ſtigmatum priuilegio decorauit.* Alex. IV. ibidem: *Dum adhuc vitali ſpiritu fouêretur, manus cæleſtis operationis impreſſit &c.* Nicolaus IV. *Grande ac ſingulare miraculum, quo ipſo Sanctorum ſplendor, & gloria, Dominus Ieſus Chriſtus mirabiliter decorauit.* Idemque, cap. 6. de verb. ſignif. *Hæc eſt Regula, cui atteſtante Paolo, nullus de cætero debet eſſe moleſtus. quam Chriſtus ſuis ſtigmatibus confirmare volens, inſtitutorem ipſius Paſſionis ſuæ ſignis notabiliter inſigniuit.* Sixtus V. apud Henricum Sedulium in Commen. ad vitam S. Franc. Oratio, & Pręfatio Miſſæ ſacrorum ſtigmatum, adſtruit: quin & Miſſale Romanum antiquũ, Lugduni excuſſum, ijs verbis. *Tunc ab alto Vir Hierarcha venit ecce Rex Monarcha: pauet iſte Patriarcha, viſione territus.* Cardinalis Capuanus in hymno. *Regis ſignum ducem dignum, &c.* Cardinalis Raynerius in hymno. *Ad quem venit Rex è Cælo.* Neapoleo Cardin. Legatus, in literis apud Archiuium Montis Aluernæ. *Almus Confeſſor, &c. In Sacro Montis Aluernæ per apparitionem eiuſdem Domini Ieſu in ſpecie Seraph, meruit ſacris ſuę Paſſionis vulneribus, in manibus, pedibus, & latere conſignari.* Cardinalis Iordanus Protector Ordinis, in literis. *Cum ad conſeruandam Religionis integritatem, &c.* Extant in Archiuio Aluernæ

Bonifatius Papa IX. in Bulla, quæ incipit, *Splendor paternæ gloriæ, ait. In Monte Aluernæ Aretinæ Diœcesis, in quo Dominus noster Iesus Christus B. Franciscum suis Sacratissimis stigmatibus insigniuit*. Doctor Seraphicus Bonauentura, in legenda cap. 13. & 16. *Ipse Dominus, qui signacula illa impresserat*. In Opusculis, de sex alis Seraphim, cap. 2. tomo 7. *In tali similitudine, Sanctissimo nostro Francisco in illa gloriosa visione Dominus apparuit*. Franciscus de Mayrone, in serm. stigmatum. *Sextum mirabile est persona infinita, quia persona illius apparentis fuit ipsemet Christus*. B. Bernardinus Senensis de Euang. æterno tom. 2. serm. 60. art. 1. cap. 1. tom. 4. serm. 6. *Per se ipsum, & non per alium apparuit eis, & gloriosum Franciscum in suæ acceptatę perfectionis signaculum figurauit, & consignauit. Profectò nec per alium hoc fecit, &c.* Probat diffusè S. Antoninus à Florentia 3. part. Histor. tit. 23. cap. 1. *Cum esset in Monte Aluernię apparuit Dominus Iesus in modum Seraphim cum sex alis Crucifixus, & impressit in manibus, & pedibus, & latere signa suæ passionis, &c.* B. Angelus Carmelita, apud Baptistam Mantuanum de sacris diebus. Tres socij Fratres Leo, Angelus, & Ruffinus; duo socij illi, Hugelinus, & Fabianus in Speculo Iacobus à Voragine serm. 3. Episcopus Aquinatensis Rupertus à Licio, serm. S. Cather. Senensis, c. 3. & serm. S. Franc. Guillelmus Episcopus Aretinus in suis literis, vt in Archiuio ipso: Episcopus Opportuensis in Chron. par. 1. Episcopus Bitonto lib. 2. de diuino amore Aldobrandinus Aretinus in literis Gonzaga, Rodulphus, Didacus Arze, Lipomanus, Surius, Bartholomeus Pisanus, Alphonsus à Villegas Raphael Volterranus vltraque 60. grauissimi Viri (vt extant in Theatro stigmatum, Orchestra 2. spectaculo 12.) Christum ipsum fuisse constanter affirmant.

In-

In specie Seraphim Christus apparet. §. 1.

Amictu Seraphico. Sex alarum.

APparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos; vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris Nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis; Apparuit inquam seruator, & ecce conseruator apparet, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria iustè, & piè viuamus in ea iustitia, & pietate qua nos instituit, & formauit. Cum enim fidelis famulus, & Minister ipsius, biennio antequam spiritum redderet cęlo, in loco excelso seorsum, Angeli Montis Aluernæ, quadragenarium (vt preijt sermo) ad honorem Archangeli Michaelis, Franciscus ieiunium inchoasset, supernæ contemplationis dulcedine abundantius solito super fusus, ad cœlestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cœpit immissionis cumulatius dona sentire. Dumque Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, & compassiua teneritudine, in eum transformaretur, cui ex charitate nimia crucifigi complacuit, sub diei festi exaltationis Sanctæ Crucis crepusculum, in latere Montis orans, versus Gallias, & Hispanias ora tenens, vidit quasi speciem vnius Seraphim sex alas tam fulgidas, quam ignitas habentem, de cęlorum sublimitate descendere, qui volatu celerrimo ad aëris locum Viro Dei propinquum perueniens, dilectum alloquitur.

Pax Francisce, pax; ne timeas; ego sum Dominus Deus tuus

Iesus, quem vnicè amas, cui te Crucifigere voluisti, cuius amore caducis te omnibus abdicasti.

Ecce venio nunc ad te, vt mihi aliquid boni offeras. Ad hæc Seruus. *Quid miser habeo, quod à tua largiflua non habeam manu? Quid habeo, quod tibi non dederim? Scis, o Amor meus, tuum esse me totum; corpus & anima, cor, & viscera tua sunt. Omnia dedi tibi, nihil mihi retinui.* Respondet Dominus. *Mitte manum tuam in sinum tuum* (consule super ijs Dialogum Millianum) *& quidquid inueneris offer mihi.* Paret Franciscus; aureumque trahens pomum (seu pilulam, iuxta Dialogum) offert Domino. Mittit iterum atque iterum manum, efferensq; alias duas pilas auri, offert. Tunc ad eum sic Dominus. *Scis ne quid obtuleris? Tres Ordines quos instituisti.*

Huiusmodi se habens Dominus verbis, suæ Crucis, & mortis amasium Sacrosanctæ, blandiloquus totum in se transformat, & abstrahit. O ingens, o admirandum, o magnale, o inclytum inclytatis, o maiestatium maiestatis immensæ abstrusum, atque absconditum Sacramentum. Binarij trias alarum, supersubstantialem illam, antequam rerum vniuersitas contremiscit, insinuat: Siquidem Trinitatis indiuisa opera sunt ad extra; quare tota se Trias, concomitanter proferens, venit cęlitus. Pater inquam, Christi caput, iuxta Apostolum, alas habet, Deuteronom. 32. Psalm. 16. 33. 36. 60. Filius brachium Patris, Isa. 53. 27. Luc. 1. aliger est, Malach. 4. Matth. 23 Spiritus Sanctus, pedes, affectus, amorque videlicet vtriusque, columbę speciem præsefert, alas habet, Matth. 3. (accipias candidè omnia metaphoricè) Marc. 1. Luc. 2. Ioan. 1. Quid iam mirum? Pater apparet, Filius apparet; Spiritus apparet, alati; Peruolat enim circa stigmatum opificium inclytum Patris potētia velocissimus agitat in instanti fabricam illam. Peruolitat abstrusa mysteria reserans, sapientia Filij; pernicesque amoris aligeri pharetrati, inijciens intimis præ-

cordijs

cordiis flammam, alas explicat almum Pneuma. Alata igitur Genitoris potentia miraculorum confert Francisco stupores; Pennata Geniti Sapientia, vt quem non homo docuit, Doctorum sit stupor, efficit. Aliger tandem Spiritus amor, Seraphicas flammas incendit interius, ita vt prę̨ter Apostolos, antonomasticè Seraphicus nuncupetur.

Ast quid agedùm, Sena pennacula monimẽti; quidue mysterij signasse volutas? Totidem forsitan, quot habet Religio membra, obseruantiam, Hispaniæ atque Italię Reformatorum quin, & Galliæ Recollectorum, pusillum gregem, decorem & elegãtiam Domus Dei? Numquid exin Conuentualium? Caputinorum? Monialium? Pęnitentium? Quid ni? Seraphicum etenim corpus, membra vegetat, alit Seraphica. Obseruantiam namque Matrem, Sanctis affluere quis ignorat? quem sublitet eam esse, quæ Theologos, quę strenuissimos Dei tubicines; quæque Sanctos Confessores, & Martyres parit Astris? Reformatio Columbella, (illa prę̨sertim minoris Hesperię nudipes) quales amabò per hemisphęrium Indiarum agitat alas? Vides Petrum, vides plurimos cateruatim, Martyrij floridi stigmata prę̨ferentes; vides Seraphicos, videsque inprę̨sentiarum extaticos homines, qui dùm sub ęthera rapiuntur, suspendunt in aere corporis molem. Conuentuales? Ecclesię sunt columnę fulcra fidei; Sanctæ nonne inquisitionis munus exercent? In re literaria Decumani, in concionibus fulminantes; Magistri, Doctores, Patres grauissimi: ex ijs Ecclesię magni proceres, Cardinales, atque Pontifices eruperunt. Sanctæ quoque vitæ Illustrissimi homines decessere, vitalesque in dies pascunt auras. Caputini? Nihil est melius quàm parum dicere. Ornamentum Ecclesiæ, Orthodoxæ Christi domus aulęa, Francisci Alaudę; Quos moribus? Quos exemplo? Quos in declamationibus, quam sese gerunt

ignitos? Moniales? Dicat Assisium, Monsque Falco, dicat Vngaria, Olysippum, Cubas, Toletum, Venetiæ, Carrion, mundus totus. Pœnitentes? Hispanias peragra perge, vide; Pœnitentium agmina, cœtusque vniformiter sagulatos, miraberis, obstupesces. Quin & in communitate viuentes vbique gentium, & locorum habes, Hesperię Sanctę minoris, maiorisque vllorum: vtrique florentes omniumque virtutum genere coruscantes, pennaculum suum, quo Seraphicę Religionis vestigia subteruelant, ac veluti sericę crepidę muniunt ac tuentur, intexunt.

En iam, illud exactè in mysterio Sanctæ incarnationis impletum, etiam hodie mirabiliter actitatum. *orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitię, & sanitas in pennis eius.* Malach. 4. Sol alatus, quando visus est? Sol quando cum pennis apparuit? Scio quid reddat scripturæ rimator, scio quid apparet ad responsum. Nos tamen inficias non euntes, in iis, quę vti sensifluus continet almus codex, solem aligerum didicimus in Aluerna: sanitatemque in pennis eius; quia salus, quam in Golgotha contulit, istoc renouauit in monte; per stigmata scilicet Sacrosancta, Francisci Seraphici membri impressa.

Non solùm alatus, sed & Crucifixus apparet. §. 2.

Affixusque Crucis telo.

SEnarum candida rosa vernans, Bernardinus Seraphicus, Iesu nominis Antesignanus, tom. 4. serm. 6. circa prodigium sacrorum stigmatum valde se agitans gloriosum, *Conueniens*, inquit, *fuit, Christum ei in specie Seraphica apparere, tum vt apertè clarescceret, quòd cor eius sine alio medio vnitum, & inflammatum erat cum ipso Iesu, tum vt*

ami

amicus Christi prænosceret, ipsum non per martyrium carnis, sed per incendium mentis in Christi similitudinem transformandum; quia plus amore, quàm notitia, in Deum anima transformatur: tum vt apertius appareret, eum perfectiones Seraphicas adeptum esse, ac in ordine Seraphico finaliter collocandum. Nec insuper tantùm in specie Seraphica illa apparere debuit, sed veluti Cruci affixus, vt apertè intueretur, quòd non cœlestis spiritus illa stigmata imprimebat, sed ille, qui pro nostra salute Crucifixus est, atque ex Seraphico ardore cordis eius in Christum in Crucifixi similitudinem transformabat. Apparuit ergo in specie Seraphica, & veluti Cruci affixus.

Theologus Conformitatum, recitans Patris verba, lib. 3. fruct. 5. *Et ecce ait, per aerem iuuenis quidam Crucifixus, prætendens speciem Seraph, sex alas habens, cum maximo impetu descendebat, ad cuius aspectum subitò* (loquitur Sanctus) *& mea genua hic in loco isto* (apparuit enim cuidam fratri oranti in loco illo iuxta altare, vbi stigmata sacra recepit) *fixi, & me orationi dedi: tantamque mihi aspectu eius compassionem dedit, quòd Passionem ipsam in corpore meo mihi videbatur experiri. Cum ergo descendisset, & staret ante me rogabat me, vt sibi aliquid darem: at ego; tu scis Domine quòd nihil habeo, &c.* vide ibi. Crux autem illa non lignea, sed inter mirificas fulgidas alas, ex colore Saphirino pulcherrima videbatur, sanguinis guttulis purpurata per loca clauorum, non autem ille verus, sed cruor apparens erat; quamuis enim verus esse posset; (viuo nam corpore sanguis inest, viuumque est Christi corpus impassibile gloriosum) extraquè stillulis apparere realiter, nihilominus quemadmodum alæ illę nonnisi ex lucido aere sumptæ sunt, ita & Crux, sanguis, & claui per apparentiam tantum erant; id genus alia, quæ Angelus assumere solet corpora. *O Crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior vniuersis, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi: dulce lignum dulces clauos, dulcia ferens pondera.*

Stetit Crucifixus in imo, circumdatus nube splendida saphirina, lamentabili forma, tristi ac mæsto vultu, liuores ostentans, ac vulnera, liuores quidem ad aculũ non reales; Christus enim cum solis quinque cicatricibus resurrexit. Apparuit autem laniatus in Cruce dolorosa gerens effigiem, vt aspiciens totum in Christum passum Franciscus se redderet transformatum. Dolores tum sensibiles habuisse Franciscum, vehementiusque Passionis angustias eius animam inuadisse non dubito. Ansam præbet Doctor Seraphicus in legenda, cap. 13. dum inquit. *Hoc videns vehementer obstupuit, mixtumque dolori gaudium mens eius incurrit.* Subdit clarius *Dira conspectu Cruci affixio ipsius animam compassiui doloris gladio pertransibat.* Rectè igitur Mantuanus Franciscum prius intrinsecus habuisse canit signacula, *Et quas mente tulit &c.*

Francisco reserat Christus arcana. §. 3.

Verborum audit tenorem.
Viro non effabilem.

INeffabilis tenor, quæ Dominus credidit Seruo, verborum pandi non potest, quò ipse qui dixit, aperiat suo tempore. Certum est tamen de futuro statu Ecclesię, nouissimisque temporibus euentum, multa fuisse reclusa mysteria. Vnum hactenus reseratum, apud nostri Seraphici Doctores Ordinis, extat arcanum, ex pluribus, quæ Famulo Dominus intimauit. Priuilegium nempe magnificum, singulare, purgantium animarum suffragij, vt Natalitij die, sacro Sanctissimorum virtute stigmatum, Francisci anima gloriosa, Purgatorij sinus quotannis adiret, multasque, ex suorum, animas Astris inferret. Consule Chronicon, par. 2. lib. 4. cap. 29. Confor-

formitates lib. 3. fruct. 31. *Fioretto*, Dialogos, ſpeculum, necnon & Antiquitates Franciſcanas, vberrimè tradũt, huiuſque perhibent rei ſummam. Accipe ſocios Beati Franciſci, apud ipſas Antiquitates, centur. 2. cap. 12. *Scias quid fecerim tibi? Ego dedi tibi ſtigmata mea, in ſignum quòd Vexillifer meus effectus ſis. Et ſicut ego in die tranſitus mei ad Limbum acceſſi, & meritis ac virtute iſtorum ſtigmatum omnes animas, quas ibi inueni extraxi, ſic etiam tu, vt ſis mihi conformis in morte, ſicut es in vita, vadas ad Purgatorium quolibet anno Natalitij tui animaſque trium ordinum tuorum, ſcilicet Minorum, ſororum Sanctæ Claræ & Continentium, quas ibi inuenies, in virtute & efficacia ſtigmatum iſtorum, eruas & ad gloriam Paradiſi perducas.* Piè credat lector, pium eſt vtique non de fide; neque id reuera Fidei, Patribuſue repugnat; neque ligatas omnipotens manus, quin poſſit, ſi velit, totum exuere in ictu oculi Purgatorium, Angelici, humaniue ſpiritus miniſterio. Recitabant olim, magnoque boatu Fraticelli hæretici conclamabant eſſe de fide, atque infallibile dictum iſtud, contra quos Aymericus inquiſitor inuectus, inter hęreſes collocauit, & meritò: pium eſt etenim, taliſq; Fidelem propoſitio cogit neminem. Habet tamen pietas hæc veritatis non modicum fulcimentum, dum, ſicut extat in Chronici, ipſemet Sanctus apparens, alumno cuidam reuelauit in publico, Fratrũ conſpectu: adeas Chronicam adducto iam loco: dumq; Dei Serua Ioanna de Cruce (cuius canonizatio in præſentiarum Romę actitatur in Rota) in raptu extatico, horarum ſex ſpatium excecuto, Frãciſcum, Natalitij die ſinus Purgatorij penetrãtem, animarumque inde multitudinem extrahentem, tum ex trium ordinum ex aliis ſecularium deuotorum, vidit obſequens, atque cernua. Reuelatum inſuper illi fuit eodem in raptu, gratiam, & priuilegium iſtud, vſque ad mundi exitum æternari. Ita enim Dominus ei conceſſerat, quum ipſum Paſſionis monilibus decorauit. Hæc in Actis, hęc habes mi candide,

didé, pie Lector in legenda Seruę Dei Ioannę, eoque præsertim, *el Conorte*, inscripto volumine.

Dæmon mendacij pater, & auctor est, nec ipsi vnquã nisi cautè, fides accommodanda est. (Fides inquam in ijs, quæ veritatis aliundè, videntur accipere fundamentum, non verò eius ex nuda & simplici narratione.) Nihilominus coactus à Deo veritatem promit interdum, vt apud Lucam 4. aliosque Euangelistas habes. Hinc est, quòd illud ipsis Hostis elogium, in Speculo centur. 3. cap. 43. relato à socijs B. Francisci, veritatis specimen habeat: accipe illud. *Minister adiurans per stigmata Crucifixi, vt aliquid diceret de B. Francisco. Cui diabolus coactus dixit: dicam de natiuitate, vel de morte? Cui Minister: volo quòd dicas de vtroque, & Diabolus dixit, &c.* Vsque ad mortem: deinde ait. *De morte verò eius hoc dico: quòd velut sagitta per Purgatorium transiens, omnes animas secum duxit, & tota Trinitas cum omnibus Angelis, & Sanctis, cum inerrabili gaudio & exultatione obuiam sibi venit, & animam illam ad Cælum duxit.* Hęc ibi. Nec vllum se offert incongruum, vel absurdum, quòd Trinitas alma cum Sanctis, animę venerit obuiã, cum de alijs quoque legatur idipsum. Quin & multorum opinio est, morti iustorum Dominum interesse humillimus Crucis Heros quando apparuit, & reuelauit arcanum, quod sibi crediderat Crucifixus subdidit. *Hęc autem verba nemini dixi dum viuerem, ne iactantis præsumptionis, & inanis gloriæ viderctur.*

Arcanum aliud arbitrantur nonnulli, Beatum Franciscum ante resurrectionem generalem cum sacris stigmatibus ceu in pręlia vexillarium surrecturum: de huiusmodi pietate, in Apodixi recens à nobis edita sermo currit. Inconueniens enim non est, nec opponitur Fidei neque Patribus; cum Augustinus, referente Mayronio serm. de Resurrectione, fari non dubitet, quotannis aliquem die Resurrectionis resurgere, ad reuerentiam eiusce triumphi. Consule Speculum, seu antiquitates Fran-

Franciſcanas, centur. 3. cap. 35. quod incipit; *Ego Fratres Vbertinus.* Arcanum tandem aliud muſſitatur Crucis in iudicio fore geſtamē: Siquidem, vt in Floreto Aluernino tetigimus, B. Franciſcus, vt piè creditur à nonnullis, & legitur, erit Signifer. Sordeſcit hęc pietas Gabrieli Baraletę: ſed magis obolent pietati, atque modeſtię, verba quę truſſant. Dei namque conſiliarius nemo, voluntatis eius habena nullus, compes haud vllus eſt pedum, manicę nullus vlnarum. Crucis autem ſignum, in magni iudicij die futurum Catholici non neſcimus, Magiſtra noſtra dicente. *Hoc ſignum Crucis erit in Cælo, quum Dominus ad iudicandum venerit.*

De lumine quo Chriſtus apparuit. §. 4.

Vertex Montis inflammatur.
Vicinis cernentibus.


O Lux (ait Auguſtinus in ſoliloq.) quam videbat Thobias, quando oculis clauſis docebat filium ſuum viam vitę: lux quam videbat Iſaac interiùs, quādo caligantibus oculis exterius, filio narrabat futura: lux inquam inuiſibilis cui omnis abyſſus humani cordis viſibilis eſt: lux quam Iacob videbat, quando ſicut tu intus docebas, filijs exterius prędicebat ventura: ſis benedicta lux vera quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. A luce creaturę primordia ſuſcepere; à ſcatebra lucis mundus erupit: Lux es, lucemque habitas inacceſſibilem, lux prima, æternaq; & originaria lucis omnigenę, lucem generas, lucis filios appetis, & requiris. Apparens Abrahę, lumen pręfers, fumante clibano, igniſque inter diuiſiones lampade tranſeunte. Moyſi? Flammigera faris in Rubo. Populum?

lum? Ignis columna ducit incolumen. Sinai culmen operis fulgure: totusque Mons Sinai fumabat, eo quod descendisses in igne: ideo quasi de fornace fumus à vertice videbatur ascendens. Ita per lumen incedis in lumine; lumen de lumine Fili Dei, splendor, & candor lucis æternę. Ita similiter propter nos homines, & propter nostram salutem descendis de cœlis, & incarnatus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, factus es homo: Serenę siquidem lucis cum turbine descendisti; docet Ecclesia, dicens: *& expauescit Virgo de lumine*. Nasceris luminosus, & rutilus, clarescente nocte lumine magno, quod à stabulo procedebat. Ait enim seruus eximius tuus Vincentius (serm. Natiuit.) *statim quando Christus fuit natus, corpus suum resplenduit sicut Sol quando oritur, & nox facta est vt meridies*. Appares Gentibus in lumine magno, coa radios vibrante lampade Baptizaris in lumine; cœlis apertis: predicas in lumine die semper ad turbas; in monte Sancto lucifluus totus appares, & candidus: Crucis arborem die scandis, si autem sol velatur, sydera reuelantur, ne desint lumina, ne tuo funeri desint faces. Enim verô cum Sol deliquium pateretur, stellę protinus affulsere. Audiamus Eusebium Cęsariensem, in Breuiatio temporum, anno Domini 33. *Quarto autem anno 202. Olympiadis magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant defectio solis est facta: dies hora sexta, ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ cælo visæ sint*. Surgis aurifflua præditus luce, penetras æthera fulgidus; exin Stephano patidis Olympum; Saulumq; affaris in fulgure. Nūc demum aurea lucé, & decore roseo, lux lucis omne perfudisti sęculum, decorans seruum tuum Franciscum, sacrorum stigmatum venustate. *Felix Alverna qui tantorum stigmatum, es purpuratus pretioso sanguine: non laude tua sed ipsorum meritis, excellis omnem mundi pulchritudinem*.

Iure quidem optimo pie Lector aptaris Aluernæ: *Venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est; & ambulabunt*

gentes

gentes in lumine tuo. Patefacto siquidem cœlo septemplici, Monarcha sydereus Machinæ trinæ descendit: Iesus aliger Crucifixus allabitur; ò stuporem. *Per il suo gran splendore conuerti la notte in giorno* (ex Dialogo Montis lib. 1. cap. 8.) *illuminando come il Sole tutti li monti, colli, e valli: si come poi narrauano i pastori, che vigilauano con sua gregge per quei monti, e similmente i Rocchigiani, e prouisionati delle Fortezze, che allora erano in queste parti, i quali tutti veddano il Monte della Verna tutto infiammato d'vna luce solare, laquale gli fece molto temere affermando poi à Frati, che perseuerò così per spazio di più d'vn'hora. Di modo, che entrando detta luce per le finestre delle case, alcuni mulattieri, e vetturali, ch'andauano in Romagna si leuorno, e caricorno i muli; e caricato che hebbero entraron in viaggio, e caminando veddero la luce disparire, e dipoi leuarsi il Sole.* Theologus Conformitatum lib. 3. fruct. 3. inquit. *Vt dicit legenda antiqua Christus apparuit cum tanto splendore de nocte, quòd illuminauit montes, & colles circumquaque distantes, amplius quàm si solis claritas affuißet. De quo testes fuerunt pastores, qui per partes illas cum gregibus vigilabãt: sic etiam custodes arcium, & castrorum tunc vigilantes Rocchigiani*, vernacula Thusciæ lingua cuiusdam sunt oppidi propè Aluernam incolæ, *la Rocca* vocati: vbi tum temporis rupeus agger erat, cuius adhuc rudera prospectantur, Clusinæ arcis præsidium, atq; specula cuius excubiæ adhibiti custodiæ milites, tractum illum à cruentis insultibus tutum seruabant, hostilium latebrarũ. B. Bernardinus Senensis de Euang. æterno, serm. 16. ait: cum luce, quæ Domini fulsit aduentu super Montem, viatores, velut exorto iubare, iter aggressos. En hic aliud, *ambulabunt gentes in lumine tuo.*



Lugu

Lugubris fabricatio festiua autem fuit renouatio Christi vulnerum. §. 5.

TAbernaculorum celebritas olim cum magna lętitia, Septembris mense fiebat. Tabernacula mystica, nempe vulnera Iesu Christi, eodem hoc mense festiua solemnitate, & gaudio celebrantur; dum in carne Beatissimi serui Dei Francisci, vulnera ipsa portento mirifico renouantur. Tabernacula illa laboriosa fuerunt, cum multa inedia, siti, frigore, & ęstu fixa tot annis in solitudine: ibi lacrymę, gemitus, lamenta, fletus, & męror: ibi mordaces angues, aquę amaritudo, telluris abruptus, ibiq; Mosen execrantium deglutio impiorum. Istæc autem Tabernacula, Christi vulnera Crucifixi, suspirantis animæ refugium Erinaciæ, Petræ foramina, cauernę macerię Columbarum, quali agedum quanta, quæso, lacrymarum alluuie, doloris turbine, luctus imbre augustiæ nimbo sunt facta? Hic acetum, hic fel, hic planctus, sicut planctus Adadremon in campo Mageddon, hic serpentium morsus amari, contumelijs nimirum linguarum, Bonitatem, & Sapientiam summam impetentium Cruce pendentem. Hic tremor, & abruptio terræ, hic reprobi animæ blasphemantis inglutio. Quid plura? Tristitia maxima, solis angustia, mysteriosa, & singularis eclipsis, quinq; miraculis cumulata. Horum quatuor, sup. cap. 27. Matth. Lyranus assignat. *Sed in hoc,* inquit, *magis credendum est Dionysio, qui dicit in epistola ad Polycarpum, hoc fuisse per interpositionem Lunæ inter terram, & Solem, sicut fit in eclipsi Solis. Et ibidem dicit, quòd ipse hoc vidit, existens tunc in Aegypto, vbi est aeris puritas; quia rarissimè fiunt ibi nubes, & pluuiæ. Propter quod talia potuit tunc magis perpendere. Vidit ergo, vt dicit, Lunam ab oriente ascendentem versùs meridiem, & supponentem se Soli. Ex dictis patet, quòd illa eclipsis non potuit esse naturalis, sed miraculosa, & hoc multipliciter. Primò, quia Luna*

erat

erat quintadecima, & tunc distat à Sole per diametrum cęli; eclypsis autem Solis non potest fieri naturaliter, nisi tempore coniunctionis Solis & Lunæ: propter quod dicit Dionysius quòd mirabatur, quia non erat tempus conueniens ad tàlem coniunctionem. Secundum miraculum fuit ibi, quia transacta eclipsi, Luna rediјt ad orientem; ita quòd in vespere fuit in oriente, Sole existente in occidente, & sic orbes eorum sunt ad pristinum statum restituti. Tertium miraculum fuit ibi, quia pars orientalis Solis primò fuit obscurata, & iterum vltimò illuminata; contrario autem modo fit in eclipsi naturali.

Subditq; inferiùs. *Vsq; ad horam nonam: ex quo patet quòd Luna fuit immobilis sub Sole per tres horas; & in hoc fuit quartum miraculum illius eclipsis: quia in naturali eclipsi, Luna continuè mouetur sub Sole. Quintum verò miraculum fuit ibi, quia naturaliter eclipsis esse nullatenus potest vniuersalis in toto orbe, vt hæc fuit.* Lyra dissonat, ita fando. *Super vniuersam terram; hic accipitur pars pro toto. Eclipsis enim Solis non potest eße vniuersalis: & propter hoc quando dicit, super vniuersam terram, intelligendum est de terra Iudeę.* Contrarium tenent, & melius, Hugo Card. in Matth. 27. Ioannes Gagneius Doctor Theologus Parisiensis in Luc. 23. communem asserit esse totius Ecclesiæ sensum. *Communis Ecclesia sic tenet, & sic præstat intelligendum.* Adstipulatur Orosius, Romæq; idipsum Solis fuisse deliquium adstruit.

Festiua tamen & lętabunda fuit renouatio quinq; plagarum in carne Seraphici Patriarchæ: sex enim alarum amictu radiosus apparens Dominus noster Iesus, totidem veluti soles terris aduexit, quorum omne luminaribus hemisphærium illustrauit; à summoq; cęlo, Galaxiæ instar, luminis elices, ad Montem vsq; sanctum, puellulis aureis effluentes, protraxit egressus. Quid igitur mirum, si *vertex montis inflammatur é*

Franci-

Franciscus transformatur in Deum. §. 6.

Cor Francisci transformatur,
Amoris ardoribus.

Metamorphoseos inclytę sacrosanctissimę dignitatem, qua omnium Auctor munificentissimus gratiarum, Franciscum Seraphicum sublimauit, pręconijs efferre quis audet? Tenuis equidem, exilis, exigua decurtata Mortalium parta facultas; acies humana retunditur; allucinatur obtuitu; corruit ausa. Ast quid oppidò garrulus arrogat sophus, Francisci mirifica scriptis exhausta? Signauit Dominus seruum suum Franciscum; signatus liber est, eumq; penitus nondum explicuit Optimus Maximus. Scatet stigmatum mirificentia mysterijs inclytis, quæ nō nisi maioris Ecclesiæ tempore necessitatis, vt Beatus Iacobus de Marchia prophetauit, mundus agnoscet. Hęc totq; alię, quot legimus, transformationes B. Francisci mirabiles, mysteria præferunt futurorum. Recolamus has mente, referamus & animo, corporales. *Contuebatur Crucem auream ex ore procedentem Francisci, cuius summitas cęlos tangebat, cuius brachia protensa in latum, vsq; ad mundi fines videbatur extendi.* Hanc, referente Bonauentura, cap. 3. legendæ, Syluester Assisias presbyter, qui postmodùm factus est Minor. Currus flammeus, ab igneis tractus equis, fuit alia metamorphosis admiranda. *Currus igneus* (idem ibi) *mirandi splendoris per hostium domus intrans super quem globus lucidus residebat, &c.* En bina transformatio, vna quadriga, altera globo titanio: *Solis*, inquit, *habens aspectum*. Mirabilis quoq; fuit illa, quam vidit Pacificus. *Vidit eundem* (Bonauen. cap.4.) *Crucis Christi prædicatorem Franciscum duobus transuersis ensibus valde fulgentibus, in modum*

Crucis ſignatum;quorum vnus à capite ad pedes,alius à manu in manum per pectus tranſuerſaliter tendebatur. Illa, quam ipſe Pacificus Rex Muſarum vidit in ſæculo; *meruit iterato* (Bonau ibidem) *magnum Thau in fronte Franciſci videre, varietate diſtinctum,faciem ipſius miro uenuſtabat ornatu.* Mittimus alias breuitate.

Verum Heroica transformatio illa in Crucifixum Ieſum, ſilentio magis eſt contemplanda, quam infimo commendanda preconio. Spiritualem autem, qua Deo anima tenaciſſimo conglutinatur amoris glutino, trãsformationem Beatiſſimi Patris, in Deum attendimus, obſtupentes: dum illum, in quem deſiderant Angeli proſpicere, contuetur excitur, & rapitur. Igneſcit ardeſcit obtuitu cor Seraphicum, liqueſcunt intima mens intendit, auelluntur à ſede præcordia Ieſum verſus. *Amor vis eſt* (Auguſtinus 8. de Trin. cap. vlt.) *duo copulans, uel copulare appetens.* Appetijt quantum hucuſq; Franciſcus? Gradatim, Vnitiuæ Deificæ pertigit culmen, faſtigium tenuit: non plus vltra, non hac in vita plus vltra. Quandoquidem totum poſſidens, alter efficitur Ieſus. Alter gratia non natura: Apoſtolo namq; teſte, *qui Deo adhæret, unus ſpiritus eſt cum eo* Stagyritaq; Principe in Ethica, *Amicorum eſt idem uelle, & nolle: amicus eſt alter ego.* Auguſtino ſi *Deum amas Deus es, ſi terram terra es.* Bernardo. *Anima eſt plus ubi amat, quàm ubi animat.* Hugone 2. de arra Sponſæ. *Scio anima mea, quod dum alium diligis, in eius ſimilitudinem transformaris* Quale iobilum, quale gaudium ſe in Amoris, Amabilis, Amatiq; complexibus inuenire? Inuenit hodie ſe Franciſcus Chriſti deificis vlnis acquirens in eis, & obtinens, non quidem materialia, vel phantaſtica, ſed ſpiritualia, Deiformia, claritatis diuinæ illuſtrata radijs accidentia noua; in eadem ſua remanẽs anima, transformata ſubſtantia, ſuperni Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; amoris coniuncta vinculis, & vnita.

Tam singularis extitit transformatio Patriarchæ Seraphici, hora ista in Deum, vt piè crediderint, Magister Theologus Conformitatum lib. 3. fruct. 3. Petrus Rodulphus lib. 2. hist. Seraph. Doctor illuminatus, serm. 1. S. Francisci; Magister Ludouicus de Prussia in Trilogio animæ, par. 2. cap. 16. Baptista Moles lib. de prophet. B. Franc. cap. 4. Antonius Dassa Chronista piissimus Ordinis nostri, in suo tract. de Sacris Stigm. pluresq; alij, vidisse horariè transeunter, & obiter diuinam essentiam. Accipito verba Conform. *In Monte Abarim Moyses terrã cernit Israel proximam nec ingreditur, Deuter. 32. in Monte Aluerna uitam æternam cernit Franciscus sibi promissam, & de ipsa subarratur.* Accipe verba Rodulphi. *in monte Abiri, Moyses speculatur terram Israel: in Monte Aluerna uitam æternam cernit Franciscus sibi promissam.* Doctoris illuminati hęc: *Quartum mirabile fuit allocutio arcana, qua qui sibi apparuit aliqua uerba ei dixit, quæ alicui uiuenti noluit reuelare. Vnde dicit Bonauentura: credendum est sanè, tam arcana fuisse illa Seraphica eloquia, quòd non liceret hominibus loqui ea. Sicut Apostolus fuit raptus usq; ad tertium Cælum, & ibi audiuit arcana Dei, quæ non licet homini loqui* Eadem verba Bonauentura Doctor Seraphicus, serm. S. Franc. refert, vt vidimus ipso fonte. Ecquis verò Paulum vidisse per essentiam Deum, piè teneri à multis ignorat? imò & ferè communis Doctorum opinio peruagatur. Accipe tãdem Magistrum de Prussia. *Sanctus etiam Franciscus, prout legitur lib. 2. Conform. fruct. 3. Franciscus subleuatur, uiginti uicibus raptum, & excessum mentis, mortalem adhuc uitam agens patiebatur, de quo piè credendum est, quòd per raptum ad Dei beatificam uisionem peruenit, præsertim dum Seraphicis desiderijs sursum actus, in sacro monte Aluernæ stigmata Dominicæ Passionis per Christum Seraphica specie apparentem impressa suscepit.* En quam pulchrè Francisci cor amoris ardoribus transformatum. Quandoquidem hora felici illa, tanto munere digna fuit eius anima condonatu. Accedit insuper B. Bernardini

dini Senensis in serm. S. Francisci, elogium, purgatum ab omni fuisse peccati Scoria, tum quo fecit ei magna qui potens est, & Sanctum nomen eius, instantis, quod quidem in *Apodixi* quam nuper edidimus, germano sẽsu præditum enodamus. Extat de Sacrosanctissimæ huiusmodi transformationis in Crucifixum Iesum hic versus, antiquus.

Sic transformatur cor amantis in id quod amatur.
Vt per signa foris uirtus prorumpant amoris.





Signat Dominus seruum suum Franciscum, signis Redemptionis nostræ. § 7.

Corpus verò mox ornatur mirandis stigmatibus.

D*Omine Iesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandũ corda nostra tui amoris igne in carne Beatissimi Patris nostri Francisci Passionis tuę sacra stigmata renouasti; concede propitius ut eius meritis, & precibus Crucem iugiter feramus, & dignos fructus pœnitentiæ faciamus*. Hicce scopus, & opus, à nostris cordibus ingratitudinis extrudere pestem: hoc Intentum recordatio beneficij tenti: hæ deliciæ tuæ ea sola voluptas sponsam videlicet suum sanguinis sponsum iugiter contemplari, sanguinolentum, inquam *non habentem speciem neq; decorem*. Hinc funereis acta spectaculis sponsa purpurea, sudores cruentos in horto stillãtes, hinc lacrymis pasta feruidis, vincula, colaphos, pugna, calces, ictus, vittas in oculis, Albã, verbera, purpuram, spinas, arundinem, compedes, manicas, Crucẽ, myrrham, spõgiam, fel, acetum, clauos, & lanceam reuolutans deliquijs agitur sustinetque in vidua (Ouid. Trist.) tristia signa domo, volutans, videns, & contemplans. Ne respuas, oro, mi candide pie lector, Ethnicum illud aureum. *Audiui ego Quintum Maximum Publium Scipionem, præterea Ciuitatis nostræ præclaros viros, solitos dicere, cum Maiorum imagines intuerentur, vehementissimè animum sibi ad virtutem accendi, ac memoriam rerum gestarum eam famam egregijs viris in pectore concrescere*. Ita Salustius de Iugurtha, Quin & hocce. *Prudentissimo viro succurrebat effigies Maiorum cum titulis suis, in prima ędis parte poni solere; vt rerum virtutes posteri, non solum legerent, sed etiam imitarentur*. Ita Valer. Max. lib. 5. cap. 8.

En hic summæ pietatis iconam opificio inclyto fabrefactam mirandis stigmatibus Regis gloriæ decoratam, litulis aureis insignitam, expositam oculis, applicitam cordibus, mētibus nostris affixam. Fidelis namq; famulus, & Minister Christi Franciscus Seraphicis ardoribus æstuans, in manibus pedibus, & latere, succesiuè, alternatisque vicibus, traiectus inspicitur cuius rei substantiam quinque socij, (fratres inquam Leo, Ruffinus, & Angelus, vt patet ex Chron. Conform. alijsq; historijs; fratres itidem Fabianus, & Hugelinus, *speculi*. Auctores; Bosquierio Cæsarimontano in *Antiquit. Frā ciscanis*, teste) hanc in seriem congessere: estq; hæc pura veritas, historiæq; proprietas cum suis circumstantijs, sociorum ipsorum B. Francisci ore deprompta manibus consignata, his verbis. *Cum B. Franciscus in latere Montis Aluernæ, Quadragesimam B. Michaelis Archangeli ieiunaret, quodam mane dum ibi oraret, miram dulcedinem diuinam abundantiùs solito cæpit sentire, et vidit de Cælorum sublimitate descē dere ad se Seraph, ignitas & splendidas alas habentem, & mons cernitur inflammari. Appropinquante illo, vidit inter alas Christum Iesum Crucifixum, & vehementer obstupuit, & mærorem compassionis super Christo passo, & gaudium super eius gratioso aspectu mens eius incurrit, & cum arcana verba sibi reuelaßet, tandem dixit. Para te Francisce, faciam enim in te mirabilia hodie. Et ille: tu scis Domine, quia paratus sum ad omnia tua mandata. Tunc Christus extendit manum suam dexteram super Beati Francisci manum dexteram ponendo: ad cuius contactum Franciscus vulneratus in manu, dolorosa voce exclamauit: o Domine Iesu, & cecidit in terram, & sic attonitus respiciebat Christum Cui stupenti ait: surge Francisce, extende aliam manum: & fecit consimili modo, in sinistra manu eius, & iterato ille cecidit. Ad quem Dominus iterum ait. Surge Francisce, surge, & para te. At ille: Domine mi paratus sum. Et Dominus posuit pedes suos super pedes Francisci, & ille plagatus repentè clamauit, & cecidit in terram. Tandem dixit ei iterum Dominus. Francisce surge, surge, vt perfi-*

perficiam in te quæ diſpoſui mirabilia. Franciſcus ait. Domine. quis poterit ſuſtinere tales dolores? Cui Dominus: quid tu feciſſes, ſi uerbera aculeos, ſpinas, punctiones, alapas, ſputa, aliaſq; pœnas, quas ego pro hominibus ſuſcepi ſuſtinuiſſes? Surgens tunc Franciſcus ait: quid iubes mi Domine? Paratus ſum. Tunc Chriſtus amplexans eum, latus ſuum iunxit lateri Beati Franciſci, & ſtatim impreſſit plagam lateralem. Tunc Franciſcus exclamauit. O pie Ieſu, ceciditque in terram quaſi mortuus, & Chriſtus in Cœlum diſparuit. Beatus autem Franciſcus iacuit in terra uſque ad horam nonam Tunc Frater Leo ſuperueniens, & uidens eum proſtratum leuauit eum. Hæc ſocij Beati Franciſci in legenda, quæ dicitur trium ſociorum. Hæc fratres Hugelinus, & Fabianus, ſocij quoque eius, vt videri licet in Speculo vitę S. Franciſci. Hęc itidem doctiſſimus pater Pelbartus à Temeſuar in concione, ſtigm. Hæc Marcus Fabius in Dialogo antiquo Mōtis Aluernæ; hæc Auguſtinus de Millio in ſuo doctiſſimo, & piiſſimo, nec non veridico dialogo, lib. 1. cap. 8. Hæc pater Antonius Daſſa in tractatu de ſacris ſtigm. Hæc liber *Fioretti* inſcriptus: hęc tandem alij grauiſſimi teſtantur Auctores. Stabat Frater Leo ſuper rupem, quæ imminet labro Montis, & loco in quo tragedia hæc fiebat, totumque rei euentum ſuis oculis vidit. Nam in illa rupe ipſe Leo ſolebat habitare, & vſque in pręſentem diem permanet, inſtar fornicul ę; vnde videtur bene locus ſacrorum ſtigmatum: & qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius.

Per contactum, Franciſco ſtigmata Chriſtus impreſſit. § 8.


NOn obſtante pictura, quę per iaculationem videtur innuere Franciſco vulnera Dominum impreſſiſſe, veritas eſt, per contactum fuiſſe impreſſa. Hic modus impingendi anſam dedit B. Vincentio opinandi, per iaculationem fuiſſe impreſſa. Ait enim in cōcio-

ne B. Francisci. *Et quia ita erat ardens in charitate apparuit quasi Seraph: Et subito, ac si ballista emitteretur, clauus quidam de neruo percussit manum dextram, deinde sinistram &c.* Res tamen est ad oppositum; per contactum enim in quatuor vicibus, cum plagauit ipsemet Dominus Iesus Christus, Redemptor, & Saluator noster; Manus manibus, pedes pedibus; latusq; suum lateri B. Francisci applicans. Ipsemet Sanctus Franciscus apparens fratri Matthæo de Castellone in eodem Sacrorum stigmatũ Sacello, vt legitur in Conformitatibus, cap. *Fran. consignatur,* reuelauit dicens. *Post hac Dominus Iesus Crucifixus manus suas corpori meo applicuit, & primò manibus, secundò pedibus, tertiò stigma lateris cum vehementissimo dolore sensi, & cum magna qualibet vice, voce mei clamoris impressit.* Veritatis Parens, Optima Maxima Genitrix Virgo (Veritatis inquam Iesu, qui via veritas, & vita est,) apparens Seruo Dei Matthæo de Castellone prædicto, confirmauit huiusmodi veritatem, habuisse stigmata per cõtactum diuinę personę humanatæ Beatum Franciscum. Consulite agedum Conformitates, lib. 3. fruct. 3. cap. *Fran. consignatur.* Ibi extat apparitio hæc & reuelatio. Quin & Angeli testimonio impressionis eiusce modus, & forma, legitur apud easdem Conformitates loco citato in stabili posita fundamento: dum Angelus eidem Seruo Dei apparens, de ipsa reddidit certiorem. Consule ipsas Conformitates, & Chronicas ordinis par. 2. lib. 4. cap. 26. consule plures historicos Ordinis, Theologum Magistrum Bartholomęum loco citato, *Dominus,* inquit, *Iesus, volens ei stigmata imprimere, manus suas benedictas, primò manibus, secundò pedibus applicauit, tertiò lateri stigmata impressit, cum dolore Beati Francisci, & semper in qualibet vice cũ vehementi clamore.* Eodemq; libro, & capite inquit. *Per contactum Christi, corpus eius apertum est in quinq; locis cum maximo dolore Beati Francisci, quod expressit eius magna in qualibet prædictarum partium exclamatio.* Tandem Serua Dei

Ioanna

Ioanna de Cruce reuelationem habuit hac de re, vt patet in libro del Conorte, refertq; Antonius Dassa Seruus Dei, in tractatu Sacrorum stigmatum S. Francisci. Ait illa sic: *Le imprimio las llagas dela misma manera que las recibio su Mageltad Diuina en la Cruz traspassando le no solamente los pies y manos, mas ahun le abriò el costado, haziendo de el salir sangre, y dar grandissimos gritos, diziendo: ay que me matas mi Dios y Señor. De suerte que no podia suffrir tan grandes dolores, que en aquella hora sintiò nuestro Serafico Padre S. Francisco. El qual despues de haber recibido las llagas cayo como muerto y realmente muriera alli de dolor si no fuera que el Señor le queria assi guardar llagado y biuo, para consuelo y edificacion de su yglesia.* Hactenus illa cuius Sanctitas nota sic mundo, eiusq; mirifica tam comperta Romanę sunt Curiæ, vt cœlestes ipsi honores apud eam Fidelium anheli proceres moliantur.

Quam amabo, pretiosa Francisci, quàm venerabilis eius indusij species, incarnati Dei contactù sanctificata, decorata, & super omnes Regum purpuras atque murices exaltata. Vidimus hisce oculis habitum ipsum, quo sacra stigmata Pater accepit, vidimus, quotannisq; videmus, & veneramur, sed obeliscum, eductamq; in eo pyramidem illam nequicquam cernimus. Vnde sic ille? Quas ego: sed motas præstat concludere causas.




De scripturæ mysterio stigmatum figuris aptatis, de ipsorumque ad Christi Iesu vulnera conformitate. Lib. 6.

De figuris. Cap. 1.

Collaudetur Crucifixus.

Diuinale decretum, ab ęterno in Sanctissimę Trinitatis consistorio pręstitutum, vt Crucis imperio genu machina trina curuaret, à mundi cunabulis ænigmatum per latibula cœpit functionis mysteria peragrare. Protoparens enim, fictilis Ico sistens, quum, Optimus Maximus *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ & factus est homo in animam viuentem* passis vlnis tensisque brachijs Crucis prętulisse figuram à multis asseritur; qui Sanctę linguę meropes, *Belsamenù* Hebr. ad imaginem latiè, perhibēt. Hinc vastum Crucis Argo, quamdiu ad Caluarii littus appulit Rubri, sulcauit Oceanum figurarum. Collaudetur Crucifixus Iesus, quorum Crucis gloriæ fęta mysterijs est scriptura: quin etiam concrucifixi famuli sibi fidelis, Sacrosancta vulnera impressa diuinitus ibi, vti crepusculo lucent. Scatet nę sensibus codex Sãctus, ecquis nescit? Aptabilia igitur plura subdimus loca scripturę.


Ge-



§. I.


Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est, gen. 3. non ironicè, sed iam verè, in Francisco Seraphico vulnerato; Eccere iam, iam quasi vnus ex tribus, nempe Filius humanatus, & Crucifixus factus est, ratione stigmatum impressorum. Ast non mirum illud cap. 5. *Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam.* Primus Adam secũdi, nimirum Christi in pluribus atq; in spiritualium filiorum generatione, figura fuit. Vnde si, vt notãt grauissimi scripturales, alios habuit Adam (vide Pererium) filios sibi, tum in moralibus, cum etiam in sensibilibus valde similes, cur quęso Seth solum genitum *ad imaginem, & similitudinem suam* scriptura specificat? Nam & Abel, saltem similis erat patri; nihilominus non distinxit; Mysterium proculdubio latitauit ibidem idq; suo quisque intelligat modò: uos interea de similitudine B. Francisci ad Crucifixum Iesum, pietate Catholica intelligere non differentes, asserimus, (literali, mysticisque alijs quibuscumque illęsis omnino sensibus) Franciscum Seraphicum esse, quem secundus hic Adam fecit, ad imaginem, & similitudinem suam, ratione stigmatum; similes ei electos esse; spiritualiter, non nescimus, quiue magis, quiue minus: eò quod verum. *Quos presciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui.* Non tamen vllus ita similis vt Franciscus, Vulnerum gratia: quorum merito, non est inuentus similis illi. En igitur quasi vnus ex vobis, ò alma Trias, factus Franciscus; En tui Seth plastis Adæ, ad tuam imaginem, & similitudinem factus, ò Iesu in Ctuce

Cruce pro nobis vulnerate. En hic Benoni filius doloris tui, gen. 35. en idcircò quinque partes ei appositę sūt in mensā splendida gratię tuę (gratis inquam datæ) gen. 43.



§. 2.

ARcè illud Exod. 28. *facies, & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere celatorio Sanctum Domino* congruit huic mysterio adsunt enim Sanctum, lamina cælatura. Caro nitida virginalis B. Francisci, est lamina Sāctum, quinarium stigmatum Sacrosanctum, cęlatura est, eorum insculptio; fuerunt enim cęlatæ, & sculptę diuino miraculo cicatrices Christi: atq; adeo stigmata propriissimè nuncupantur, idest signa impressionis; stigma enim est ictus est vestigium, *señal que dexa la herida*, quod quidem *Sfragida* Græcè.




§. 3

EN illud Gedeonis, Iudic. 6. *extendit Angelus Domini summitatem virgę, quam tenebat in manu, & tetigit carnes: ascenditque ignis de petra, tulitque omnia sub quercu.* Magni consilij Angelus, nonne Angelus Testamēti Christus? Malach. 3. Nonne virga Crux? *Adsunt prodigia diuina,*

diuina, canit Ecclesia, *in virga Moysi primitus figurata*. Carnes coctæ ne Francisci ? Quidni carnes inediæ flãmis, æstuq; sitis arefactæ, Seraphicis ardoribus diu flagrantes, sanctiq; Spiritus igne torridæ? Tetigit Angelus virga carnes, & ignis ascendit de Petra, quia totus hic locus ardebat; Gedeon interpretatur, *conterens*, Franciscus est conterens Zabulum, *collisor hostis callidi*, canitur. Gedeon dux constitutus est ibi: hic Franciscus *dux nostrę militiæ, currus &c. Regis signum Ducem dignum*. Ducatum hunc exprimit Doctor de Bustis in Rosar. par. 2. serm. 27. *dedit*, inquiens, *Christus sua stigmata B. Francisco, tanquã vexillum suum strenuo Capitaneo.* Petra autem dicitur totus Mons Aluerna. *Inde est, quòd cum Fratres Minores in Saxo de Aluerna morantes spretis huius mundi delectationibus nudi Christum sequantur.* Hæc Dominus M. Marcellinus in suis literis, datis Aretij Kalen. 15. Iulij, indict. 12. Ignis non ascendit de petra, dum *vertex montis inflammatur vicinis cernentibus ?*

Sub Quercu Dux Gedeon factus; sub Fago, Quercus specie, iuxta Dioscoridem, Plinium, & alios, B. Franciscus armis cœlestibus est accinctus, Crucisque signifer magni Regis effectus. En Gedeon, en Saxum, carnes, Virga, Quercus.




§. 4.

HAbes hic illud, Reg. 1. cap. 17. *Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cępit tentare. Deposuit ea, & tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de tor-*

torrente, & fundam manu tulit, & processit aduersus Philisteũ. Deposuit Franciscus coram Episcopo Assisiano, qui *Illuminatus* dicebatur, omnia sæculi, abdicatisque fugacibus mundi rebus, baculum Crucis arripuit, eius tramitem prosequendo; quò sibi quinque limpidissimos lapides de Torrente voluptatis Christo promeritus optimè, capessiuit: eisque aduersus Goliath illum cruentum nostrę propaginis hostem, cum Euangelicę Regulę, varijs contexta præceptis, funda processit.


En hic tandem, illud, cap. 20. *Dedit Ionathas arma sua puero, & dixit ei: vade, & defer in Ciuitatem.* Ionathas idem est ac *donum Dei*; Christus idipsum, apud Ioannem dicitur: *si scires donum Dei.* Arma hic Ionathas contulit puero suo Francisco, eaque deferet gloriosus in Ciuitatem illam, quæ non eget sole Dominus enim illuminat eã. Quippe hisce characteribus insignitus emerget, quando, & Martyres cum cicatricibus resurgent.



§. 5.

QVin, & illud cap. 9. *Miphibo seth habitabat in Ierusalem, quia de mensa Regis iugiter vescebatur. Claudus vtroque pede.* Oculi omnium in te sperant Domine, tuque das illis escam in tempore opportuno; verum claudi tui ò bone mi Iesu, Fräcisci famelicam pascis turbam, absque redditibus, absque prædijs, absque peculio diuturni perennitate miraculi; idque precipuè tuorum virtuti adscribitur vulnerum.

Para-




Paralipomenon 2.

§. 6.

ADhuc illud Paral. 2. cap. 3. *Domum quoque maiorem texit tabulis Abiegnis, & laminas auri obrizi affixit per totum, sculpsitque in ea palmas.* Ecce synagoga maior annosaque Domini domus: hanc ornauit laminis Patriarcharum, & Prophetarum, tabulisque iudicum, atque Ducum, quin & mulierum strenuarum eminentium vtique fortiter gestis; quę Sancto connubio velut tabulę iunctæ, Domus huiusce laquearia coagmentarunt. Palmas quoque Martyrum sculpsit in ea, Machabęorum scilicet, & aliorum Mortalibus occultorum. Sequitur textus. *Fecit quoque Domum Sancti Sanctorum, laminis aureis texit eam, sed & clauos fecit aureos.* Sanctus Sanctorũ, apud Dan. 9. vocatur Christus, *& vngatur Sanctus Sanctorum.* Domus eius est Ecclesia, Diuinitus condita, Apostolorũ sanguine plantata, & stabilita, *plantauerunt Ecclesiam sanguine suo.* Laminis aureis textam cernimus domum istam, nimirum Sanctis vtriusque sexus identidē laminis aureis, hæ sunt volæ, latus, & palmæ Seraphici Patriarchę, aureis portentose clauis offixæ. Magnum sanè: quòd in domo maiori clauos scriptura non memorat, sed in domo Sancti Sanctorum. Almus autem lector candide (noris optimè) mysterijs affluit, scatet mirificis, nec iota redundat.




Esther




§. 7.

REgius annulus Mardochæo traditur, Est. 8. *Tulitq; inquit, Rex annulum, & tradidit Mardochæo:* Annulum Piscatoris, Pontifex optimus Maximus Iesus fidelissimo credit, vti Cancellario, vti legato à latere, suo Francisco. *Verùm de Christi latere, nouus Legatus mittitur, Franciscus Princeps inclytus, signum Regale baiulat.* Cecinit Gregorius IX. Pont. Max. apud Conformitates lib. 1. *Beatus Franciscus fidelis Legatus:* Gilbertus in Apocal. cap. 7. Seraphicus Doctor in Apolog. Pauperum stigmata vocat *Sigillum approbatiuum*. Iacobus à Voragine; *arma sua* Cardinalis Capuanus: *Signum Regis.* Rodulphus, *Signacula sua.* Doctor de Bustis *Vexillum suum*. Osorius, *Sigillum, & insignia Christi Francisco data sunt.* Dantes Theologus carmicen. *Nel crudo Sasso, intra Teuere', & Arno, da Cristo prese l'vltimo sigillo.* En Mardocheus diuinitus annulatus.



Iob.


ET TV VVLNERATVS ES SICVT ET NOS
NOSTRI SIMILIS EFFECTVS ES.
Isa. 14.




§. 8.


COngruit illud cap. 16. *Circumdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos: conscidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi Gigas.* Etsi vna sit lancea, qua sacrum Domini latus apertum, plurium nomine vocat ipsemet, ore Psaltis: lanceis suis vulnerauerunt me, & concussa sunt omnia ossa mea. Lanceas quoque clauos intellige quibus circumdedit eum.

Concinnè illud, cap. 16. *Circumdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos: conscidit me vulnere super vulnus irruit in me quasi Gigas.* Franciscus fari poterat, ingruente cęlitus alato Gigante, qui olim, *exultauit vt Gigas ad currendam viam à summo cælo:* Poterat congruè Saucius Heros Aluernæ, quum sese lanceis illis opificio inclyto fabrefactis, inuenit ambitum, Saucium palmis, traiectum latere fossum plantis. Celebrant illud Marchionis Pescaræ strenuissimè gestum; procumbente vexillo æquatumque iam, iam solo nisi boni ducis vox illico tonuisset, *inuolue te ipso*. Dicto audiēs eo se antesignanus inuoluit. En Franciscus Christi signifer Crucifixi, corruente iam signo, id enim illud, *Deus qui frigescente mundo, ad inflammanda corda tui amoris igne &c.* Franciscus inuoluitur Crucis vexillo, induitur ipsa Cruce, circumdatur clauis, & plagis, ita vt meritò fari possit. *Circumdedit me lanceis suis &c.* Vnde, & illud quoque quod sequitur pulchrè *posuit me sibi quasi in signum*; quasi vexillum egit me totum: *irruit in me quasi Gigas.* Pernix ales ab alto, fulgoribus ingruit, velocior aquila venit ad eum; Audias Bonauenturam cap. 13. *Volatu celerrimo ad aeris*

aeris locum Viro Dei propinquum perueniens, non solùm alatus, sed & Crucifixus apparuit. Tandem illud, *& in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* De resurrectione dictum minimè diffitemur. Ast non auiè Saucius Pater effatur. *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto: iam posthac in carne mea videbo Deum Saluatorem meum insculptum, & figuratum, eiusce nimirum, quæ præfero stigmatum gratia.*



HAud nec illud optimè: *sagittę tuę infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.* Psal. 37. Patulæ sunt sagittæ, confirmatio claret Bernardini Senensis elogio: afferit enim ab omni peccati Scoria fuisse purgatum. Virum Seraphicum: cuius sententię pietatem amplectitur Vbertinus in *Arbore vitę* lib. 5. cap. 4. *Satis*, inquiens, *est probabile, & multum deuotum, credere, quòd Seraphica manus Iesu, tunc illam carnem purgauit ab omni rebellione.* Nos verò aliter huiusmodi confirmationem, in Floreto Aluernino, & in Apodixi, à nobis recèns edita, intelligimus.




§. 9.

PVlchrum illud Cant. 2. *sub vmbra illius quem desideraui, sedi.* Vmbra, hoc est figura, Crucifixi Vmber Franciscus, vt à Monte descendit, Ecclesia sub ea sedit,


ad ſui Sponſi deplorandam Paſſionem, & mortem. Fas ſit aptes Proteſilai vmbram, quę Statio in Sil. verſ. 274. Propertio lib. 1. Ouid. epiſt. 10. Loadamię fabulantibus, coniungi apparuit, quam cùm tenax amplexata eſſet, animam exhalauit; Obierat ſuum diem Proteſilaus vxoris anima, cor, &: viſcera non tulit illa talis, ac tanti conſortis abſentiam; quin, turturis inſtar arido arboris ramo, triſtis, & mæſtę inſidentis, condita latebris totam ſe ſoluerat lacrymis, & lamentis quò miſerante cœlo, exoptati coniugis vmbra ſeſe conſpectui eiulantis imperiit. *Mittit, & optat amans, quo mittitur ire ſalutem, Aemonis Aemonio Laodamia viro.* Naſon canit. Deſiderabat Eccleſia Sponſi præſentiã Crucifixi, & mortui, delegauit vmbram, imaginem ſcilicet, ſuam, qua viſa ſolatium capeſſiuit, & vires, plorandi ab integrò mortem eius.

Arrident illa, Cant. 5. *Manus illius plenæ hyacintis.* Claui illi, quibus erant Franciſci traiectę manus ferruginei deſcribuntur. *Erat autem*, ait Doctor Seraphicus in legenda, cap. 15. *Similitudo clauorum nigra quaſi ferrum.* Haud ſecus hyacinthi; *& pinguem tiliam è ferrugineis Hyacinthis.* Vergil. Bucolic.


Iſai.

§. 10.

NEcnon verba Euangelici Vatis illa, cap. 5. *Eleuabit ſignum in nationibus procul.* Signum mirabile noſtrę ſalutis, eleuatum eſt ſolyma, ſatis procul. Hocce ſtigmatum ſacroſanctum, vexillum Chriſti Regis victorię. Signum inſuper eſt Frãciſcus, erectus, & eleuatus omni




ni procul humana existimatione, mendicus, paruus, hum[illegible] vilis. *Gloriosus Franciscus*, inquit Laurentius Zam[illegible]ntertiensis, *fuit signum, seu sigillum mirabilium Dei.* Quidni & illa, cap. 49. sic inuertas: *Ecce in manibus meis descripsi te.* Ecce in manibus tuis descripsi me? Abscinde sic demum illud, cap. 14. *Et tu vulneratus es sicut & nos: nostri similis effectus es.*




BRACHIVM SICVT
Iob 40
ES
HAB
DEVS

COncinnè ponas hic illud, cap. 33. *Respice Sion Ciuitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam; Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit. Nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur*. De felicitate Ecclesię sermo hic est; Videbis, ô Sion, Ecclesia Dei, diuitias, quibus locupletanda es: videbis tabernaculum &c. Ecce Sanctissimum Francisci corpus ornatum stigmatibus Crucifixi: Humanum siquidem corpus, a Paulo multisque alijs Tabernaculum nuncupatur. Transferri nō potuit vnquam à loco suo, crypta illa in qua rectum stat pedibus. Sed nec auferri potuere claui, summo adhibito nisu Claræ, teste Theologo Conformitatum, lib. 3. fruct. 6. *& tunc*, ait, *B. Clara conata est clauum à manu remouere sed non potuit*. Conati sunt alij funeris die, Ecclesię Proceres, Magnatique Assisiates, at frustra. Funiculi eius ruptibiles? Consule Chron. Conformitates, atque Ordinis Monimenta, videbis quàm irruptibiles ij funiculi. Quot periere, quotque pœnas cum morte dedere, persecutores Ordinis, quàm infeliciter fati miserrimi munus implerunt. Non igitur Franciscanus funiculus facilis ruptu: quia, *funiculus triplex difficile rumpitur*. Nec denique claui auferri poterunt; quia, teste Augustino de Ciuit. Dei, cum cicatricibus Martyres iudicij die resurgent. Hinc & Sanctum funus Patriarchæ Sanctissimi, perennitate pollens miraculi rediuiuum, insignia Christi, clauos & vulnera pręferens, inferet astris; *nec auferentur claui eius in sempiternum*.



Ezechiel.

EXcisa illa, *tu signaculum similitudinis*, cap. 28. optimè congruunt. Nec non illa; *& foramina tua in die qua conditus es præparata sunt*. Ad Regem Tyri iaculata sunt istæc, attamen prçciduntur. Sexto die creatus est homo sexto redemptus, sexto per mirificentissimum stigmatum renouamen, Passionis viuacia reformatus. Foramina igitur tua, ò Francisce, die qua conditus es prçparata sunt: quandoquidem Sanctę Crucis exaltatio, vt sępe enodauimus, & sæpius, die veneris incidit. Multa præterea codicis sacri aptabilia comperimus, quæ pijs Francisci cultoribus ablegamus; cuiusmodi sunt, *Signa Thau* Ezech. 9. *Ponam te quasi signaculum*, Agæi 20. *Auis tincta per totum*, Ierem. 12.

De Conformitate B. Francisci stigmatum ad Christi vulnera, loco, & tempore. Cap. 1.

QVia, vt ait Bernardus de anima cap. 1. oportet id quod, est ad imaginem, cum imagine cõuenire, & non in vacuum, nomen imaginis participare: quia imago non variat, ab imprimente signaculo iuxta Athanasij dictum; testeque Philosopho, natura est vis insita rebus, similia ex similibus producens: ectypa stigmata Frãciscana suo Prototypo, nẽpè Iesu vulneribus, terebrisque dissimilia non arbitramur; dum finis & scopus eiusce mysterij fuit, repręsentare ad viuum frigèscenti Ecçlesiæ Crucifixum, eiusque vulnera, clauos, & formã, qua manus impiæ, in illo Sanctissimo corpore fabricarunt. Hinc nil mirum, vt impresśũ imprimẽti signaculo cõformemus. Fuerunt igitur val-

de

de similia, loci, temporisque gratia. Locus enim similis est Caluariæ, vbi Dominus passus est. Mons ille Saxosus ab Adricomio num. 235. altitudine mediocri per hibitus; Aluerna Saxeus extat, mediocriter altus in Chron. par. 1. descriptus. Caluarię locus inter occiduā & Septemptrionalem iacet plagas; Aluerna inter vtrāque situs. Caluarius locus supplicij, Aluerna is ipse. Caluarius cranijs, ossibusque cadauerum sparsus; Aluerna itidem, trucidatorum à crassatoribus hominum caluis, & ossibus, in Penna præsertim iugi cacumine, Lupi latronis sede, perfusus. Caluarius locus in medio terrę; iuxta psalmum 73. Hieronymum in c. 5. Ezech. Iosephum de Bello lib. 3. cap. 2. Victorinum Pictauiensem, apud Bedam de locis Sanctis, cap. 3. aliosque scriptores; Aluerna in medio Italię positus est, vt ex Varrone, Plinio, alijsque nonnullis elicitur; Vmbria enim, vmbilicum Italiæ est; Aluerna autem licet in Thusciæ sit ditione, Vmbriæ particeps est, vt Cæsar Ripa in Iconologia perhibet. Caluarius cinctus est vallibus, ad ortum habens Iosaphat; ad occasum vallem Siloe, ad Septemptrionem Vallem Raphaim, seu Gigantum, quę per ortum ad Austrum vsque protenditur; Vallis Gion Sanctam ciuitatem circuit per occiduum Ramæ portam versus. Aluernia vallibus quoque vallatur; Valle Caluana ad ortum; Valle Sācta ad Borcam, Valle Casentina ad Occidentem Valle Clusina, ad meridiem. Golgotha, quando *petra scißa sunt, & monimenta aperta sunt*, fissus est, teste oculo; cernitur enim vsque in hodiernum diem scissura horribilisque profunditas. *Hactenus Golgotha*, inquit Cirillus Episc. Ierosol. Cathe. *13. monstrat, vbi propter Christum petra scissæ sunt*. Testantur vltra 300. Auctores. Aluerna scissus est in morte Christi, à summo vsque deorsum, vt retro fati sumus; & hic resumimus. Asserunt enim D. Bonauentura, in illo libro Mediolani impresso, anno 1477. apud Magistrum

ſtrum Antonium Zarotum, de Parma; cap. 47. Sanctus Bern. Senenſis, in Seraphim, tom. 4. ſerm. 16. Cęſar Baronius in Annal. an. 34. fol. 181. Theologus Conformitatum, lib. 3. cap. *Fran. conſignatur*. Franciſcus Cimenes Epiſcopus Helnæ, & Patriarcha Ieruſalem, lib. de natura Angelica, tract. 5. cap. 13. Epiſcopus Mantuanus Gonzaga in Chron. par. 2. Rupertus à Licio Serm. 44. c. 3. Doctor illuminatus Mayronius, ſerm. ſtigm. Petrus Rodulfus Toſſiniatenſis in Hiſtor. Seraphica, Petrus Valderrama in Theatro; Hieronymus Fonſeca, 4. par. Vita Chriſti: Marcus Fabius in Dialog. Franciſcus de Salazar, in epiſt. ad Dialogum Montis Aluernæ Auguſtini de Millio: idem Auguſtinus in Dialogo: Auguſtinus Gallucius à Mondolfo in Ieruſalem cęleſte, Can. 17. Franciſcus Maurus Iſpellenſis in lib. Franciſciados, 12. Angelus Bardi in Arbore S. Franciſci. Aurelius Sauelli in dialogo: Antonius Daſſa in tract. ſtigm. Ludouicus Reuolledo in Chron. Lucas Vaddingus in Annal. Minorum, tom. 1. alijque plures auctoritatis eximiæ viri. Crucifixus eſt tãdem Ieſus in Ieruſalem; ſtigmatizatus Franciſcus in Aluerna, qui velut altera Ieruſalem dictus eſt. *Mons ille eſt veluti altera Ieruſalem*, inquit Rodulfus lib. 2. Hiſtor. Seraph. Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Cardinalis Montaltus, *vn'altra Geruſalemme*, ait quum viſit hunc Montem.

Cęterum locus Domini Paſſionis, Crucis arbor fuit ipſam verò ex Quercu fuiſſe non dubitant Iuſtus Lipſius lib. 3. de Cruce: cap. 13. Boſius in Triumpho Crucis, lib. 1. cap. 6. Alphõſus Ciaconius, *de ſignis Sanctiſsimæ Crucis*. Franciſcus Carrillius, in tract. 3. ordin. S. Franc. Daniel Mallonius cap. de Cruce, quęſt. *ex quo ligno* non abnuit. Sillius Creta lib. 1. Sedulius, 3. lib. Paſch. ex Robore fuiſſe arbitrantur. Quercus tamen erat, vt videtur Sacratiſſimum Romę lignum Crucis innuere; quin, & Crux Carauaccę in Murgico Regno (quam hiſce

hisce indignis manibus gestans, cōtēplatus sum sæpius, dum ibi in Sanctæ illo Recollectionis Monachio degerem) testatur colore; quin etiam lignum Crucis Mantuę in Sacello S. Barbaræ veneratum idem natiuo Quercus colore ostendit. Euangelicus Isais, cap. 6. *Et erit*, inquit, *in ostensionem sicut Terebinthus, & sicut Quercus quæ expandit ramos suos, semen. Sanctum erit, quod steterit in ea.* Quid clarius? Nulla expositio hactenus assurrexit aduersa Christus est Sanctum illud promissum Patribus Abrahæ, semen, *& benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Stetit in Quercu pendens Sanctum hoc semen. *Ecce lignum Crucis, in quo salus mundi pependit.* Ecclesia. *Stabat mater dolorosa, iuxta Crucem lachrimosa, dum pendebat Filius. Quercus erat Crux? In Quercu Dominus Crucifixus?* Pietas est; piè credendum. Ecce conformitas: sub Quercu nāque vulneratur Franciscus; Fagus enim Quercus est species. *Fagus, & Ilex inter Quercus species numerantur, consimilisque virtutis sunt;* ait Petrus Andreas Mathiolus, in suis discursibus, cap. 122. Et in scholio. *Vocabulum Quercus vniuersaliter deseruit, & Quercui, & cuiuis glandiferarum arborum speciei. Dioscorides enim sub isto vocabulo Quercus, comprehendit omnes species arborum glandiferarum.* Hęc Mathiolus. Quemadmodum animal est genus ad animantes hominem, leonem, volucrem, &c. Ita Quercus ad ligna glandifera. Cum igitur sub Fago Quercus specie sacra Franciscus receperit stigmata, liquet planè sub Quercu. Fagum autem fuisse ibi, supra tetigimus, sub qua Oratorium sibi construxerat, cum Cruce lignea, Passionisque insignijs, ipsa sub arbore. Audias iterum. *Construxerat sibi Beatissimus Pater Franciscus non longè ab hoc Sacello, dum adhuc intra cellulæ limites teneretur sub procera Fago, Oratorium, in quo integras in oratione noctes consumere assueuerat; hic stigmatizatus est; Hæc* Rodulphus. Hist. Seraph. c. 2. *Construxerat sibi Beatissimus Pater Franciscus, non longè ab hoc Sacello*(hoc est tuguriolum ramis extructum

capel-

capella Crucis hodie nuncupatum) dum adhuc intra cellulæ *limites teneretur, sub procera Fago, Oratorium, in quo integras noctes in oratione consumere assueuerat. Ad hoc igitur in festo Exaltationis S. Crucis paululum ante Auroram, orationis ergò perrecturus maxima luce circumfusus; &c.* Idem Sacri Montis Dialogi, idipsum aliæ quoque historię perhibent. Vides lector, quàm similis locus?

Tempus autem similitudinem præfert; dum sexta quidem Feria tale tantumque prodigium sub sole nouum, contigit. Eodem inquam die, quo Dominus noster Iesus Christus, *passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & sepultus est*. Bissextilis erat annus 1224. cuius gratia, festum Exaltationis Sanctę Crucis, quod Iouis debebat incidere die, incidit Veneris; vt in Floreto Aluernino ampliori sermone disserimus. Tempus erat quo Dominus in ædibus Caiphę saturatus opprobrijs, velatus consputus, & colaphizatus est: quaque irrisoriè salutatus, blasphemijsque illis impetitus *prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit*. Hora vtique qua Dominus ab inferis resurrexit, roseasque retinens cicatrices, inflicta sibi vulnera percurauit; ea ipsa cœlitus ingruit, stigmata renouat, clauos conflat; & quia iam mori non potest, & quia non pati, non crucifixi; mori se innuit in Francisco, pati, & Crucifigi, dum Alterum, se videtur efficere seruum signans suum, *signis Redemptionis nostræ.*

Stigmatizatio Crucifixioni similis quo ad modum. §. I.

NOn humi, sed altò affixus est Dominus, fixo stipite per ligneos gradus ascendens, dorsum applicuit, extendit brachia, manus exposuit, pedes & tibias dedit pares. Beatus Laurentius Iustinianus, serm. de Pass. Dom. Ioannes Lanspergius, hom. 49. & 43. de Pass. Ioannes Antonius Pāthera, de Monarchia Christi,

sti,lib. 8. cap. 23. Ioannes Echius de Paſs. Dom. art. 5. conſid. 3. Didacus Stella in Luc.cap.22. Philippus Diez ſerm.4. de Paſs. Domini, Ioannes Aquilanus, ſerm. de amara Chriſti Paſs. ęquatam ſolo Crucem, extenſumque perinde manſuetum Dei Agnum confixum autumnant. Melius tamen Rutilius Bezonius in Speculo Epiſcoporum, ſeu in lib. de fuga, diſp. 2. quæſt. 3. §. *nec eſt ſimile.* Iuſtus Lipſius lib. 2. de Cruce, cap. 7. Doctor Seraphicus Bona. In meditationibus, cap. 78. (videas Thuſco eloquio peruagantes) Lodulfus de vita Chriſti; D. Gregorius Nazianz. de Chriſto patiente litera B. fol. 1149. Cardinalis Toletus in Ioan. cap. 19. annot. 14. Nicephorus, lib. 1. cap. 30. Polibius in deſcriptione Annibalis. Daniel Mallonius *de Cruce, & titulo*, cap. 6. alludit Chryſoſtomus, hom. de Cruce, & latrone. Regina Suetię Brigitha lib. 7. cap. 15. D. Petrus Chryſologus, ſerm. 96. ſentiunt, erecta prius Cruce, humiq; firmata fuiſſe Dominum Crucifixum. Accipe Nonnum. *In lignum quadratum, & altum, & à terra eleuatum, rectum extenderunt.* Nazianzenum audi. *Poſtquam vrbe Solymorum relicta, in editum venere plurimis ſtratum locum: Reges trahentes impiæ turbæ meum; ſtatim caterua molis ingentis Crucem, Cęlo minantem egere ſurſum perditè: egere ſurſum, & ſuſtulere ad vltimum. At ille clarum rectus os in æthera, eſt actus: vno itè altero ramo arboris; dextram, & ſiniſtram extenſus & fixus manus, clauis acutis, parteq; infima pedes.* Doctori mellifluo de Paſs. Dom. cap. 5. auſculta. *Exaltato in Crucem perforantur manus, & pedes Viri optimi, benigni Ieſu.* Nicephorum Calixtum. *Poſtquam ad Caluariæ montem vètum eſt, ibi Crux compingitur: Saluator in eam ſuſtollitur, clauis affigitur.* Danielem Mallonium. *Fauent Euangeliſtæ, dicentes, Chriſtum è Cruce depoſitum; ſtante enim Cruce, ſolum cadauer deponebatur; argumentum quòd primo Crux figebatur terræ. Facit hic modus ad terrorem magis aliorum, fere enim ſpectacula hæc populo aſpiciente fiunt. Item phraſes in Crucem tollere, in Crucem agere &c.*

Legé

Lege Lipsium. Adde etiam, quòd iam Crucifixo Christo titulus affigitur, vtique scala mediante. Audito Brigitham. *Ad montē Caluariæ dum essem mæstissima plorans, vidi Dominum meum, nudum, & flagellatum, ductum per Iudæos ad Crucifigendum qui diligenter ab eis custodiebatur: vidique tunc foramen quoddam excisum in monte, & Crucifixores in circuitu paratos ad operandum crudelitatem. Dominus autem conuersus ad me dixit mihi: Attende tu, quia in isto foramine petræ infixus fuit pes Crucis meę Passionis, & statim vidi, qualiter ibi Crux eius à Iudæis figebatur, & firmabatur fortiter in foramine petræ montis cum lignis confixis cum malleo validissimè circumquaque, vt Crux solidius staret, ne caderet. Cum igitur Crux ita solidè firmata esset, ibidem statim adaptabantur tabulæ ligneæ in circuitu stipitis Crucis per modum graduum, vsque ad locum vbi pedes eius Crucifigi debebant, vt possent per illos gradus tabularum tam ipse, quàm Crucifixores ascendere, & super tabulas illas aptiori modo stare, ad Crucifigendum eum. Post hoc autem ascenderunt ipsi per illos gradus ducentes eum cum irrisione, & vituperio maximo. Qui gratanter ascendens velut Agnus mansuetus ductus ad immolandum. Cum esset iam super tabulas illas, non coactus, sed statim voluntariè extendit brachium suum, & aperta sua dextera manu posuit eam in Cruce; quam illi sæui tortores immaniter Crucifixerunt. Perforabant eam clauo per illam partem, qua os solidius erat. Tunc etiam trahentes cum fune vehementer manū eius sinistram, Cruci affixerunt eam simili modo. Deinde extenso corpore vltra modum in Cruce, posita fuit vna tibia eius super aliam, & sic iunctos pedes affixerunt in Cruce duobus clauis. Et in tantum extenderunt illa gloriosa membra in Cruce vehementer, quòd quasi omnes venæ, & nerui eius rumpebantur. Quo facto coronam de Spinis, quam deposuerant de capite eius cum Crucifigeretur, iterum imposuerunt, & aptauerunt capiti suo Sacratissimo, quæ tam fortiter pupugit reuerēdum caput eius, quòd oculi sui repleti fuerunt illico fluenti sanguine; aures quoque obstruebantur, & facies, & barba quasi tegebantur, & inuctę erant illo roseo sanguine. Et statim illi Crucifixores, & milites, amouerunt*

veloci-

velociter omnes tabulas illas, quæ adhærebant Cruci, & tunc remansit Crux sola, & alta, & Dominus meus Crucifixus in illa. Hęc illa Accipe verba Chrysostomi. *Quam ob causam in excelso ligno, & non sub tecto immolatur.* Fauet Ecclesia in oratione Missæ Passionis Domini, dicens. *Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui hora sexta pro redemptione mundi, Crucis patibulum ascendisti.* Audito Chrysologum. *Crucem ascendit, Sepulchrum patitur.*

Quid hinc? Conformitas vtique mirificę stigmatizationis ad Crucifixionis modum elicitur; stans enim Dominus; stans quoque Seruus affixus: vt supra ostendimus.

Conformis, & similis quoad situm, corporisque positionem. § 2.

OCcidentem respiciebat Christus in Cruce. Ita perhibet, D. Ioan. Damascenus de fide Orthod. c. 13. *Verùm & Christus Crucifixus, Occidentem respiciebat.* Iodocus Clithouæus in Comment. *Christus Crucifixus ad occidentem respiciebat.* Idem Hieronymus afferit in Marc. cap. 15. (si commentator est ipse) idipsum Beda in Lucam cap. 23. Diuus Germanus in Theorica rerum Ecclesiasticarum. Seduli us, lib. 4. *Occiduo sacræ labuntur sydere plantę. Arcton dextra tenet, medium lęua erigit axem.* Adricomius tandem cum alijs multis Auctoribus id affirmant. Cur occiduum potius quàm aliam versus plagam, Dominus Crucifixus? Vt responderet ægritudini medicina. Adam quando peccauit Occidentem respiciebat. Probat Mallonius in tractatu de Sacra Sindone, cap. 6. fol. 85. *Attende, inquit, cum Adam in Paradiso peccasset, nuditatisque erubescentiam perborresceret, Occidentem respiciebat; cum etiam Deus, Adę, Euæ, Serpentique maledixisset, ab Occidente respiciebat. Vnde hoc colligimus? Vtique ex Scripturarum auctoritate. Nam cum peccasset Adam, audiuit vocē Domini deambulantis ad auram post Meridiem, ideo abscondit se Adam;*

Adam; interrogatus tamen à Deo, respondit illi; Deus autem ab Occidente veniebat, igitur Adam Occidentem respiciebat. Quòd verè Deus ab Occidente venerit, colligit Scholiastes Pentateuchi Hebraici ex illis uerbis; ambulabat Deus ad auram diei. Dies iã declinauerat, quia erat post meridiem, & aura diei erat quę spirabat versùs eam partem, qua Sol uergebat cum iam esses post meridiem. Deus uerò contra auram ueniebat, ergo ab Occidente. Confirmat hanc explicationem ex Iarrio, & Onchelo testaturque Alphonsus Tostatus, & Lyranus in Genes. cap. 3. Christus igitur ut Patrem placaret, qui ab Occidente maledixerat Adam nudũ, in Cruce nudus Occidentem respiciebat, dicens: astabo tibi, & videbo, quoniam non Deus uolens iniquitatem tu es. Hactenus ille.

Analogicè, B. Franciscus, ad Occidentem respiciebat quando stigmatizatus est, vt patet, locique situs testis est: ad Occasum enim respicit; legiturq; Seraphim terga, Franciscum autem ora ad Occidentem habere, quum terque quaterque beatam luctam illam exercuere. Consule, quas edidimus rerum harum historias *Floretum Aluerninum; Theatrum Seraphicum Montem seraphicum &c.*

De Conformitate vulneris manus dexterę. § 3.

REpetimus Athanasium: *non variat* (aientem) *impressa imago ab imprimente signaculo: sed incommutabilis perseuerat, iuxta sculpturam annuli.* Exemplum quando exemplari difforme? similes, & conformes erant plagæ Serui, Dominicis. Nec obstat inter Doctores diuersa loquutio, varium de Stigmatibus hisce vocabulum; alij siquidem stigmata, alij verò, vulnera; tandem signacula, cicatrices, insignia nuncupant. Omnes tamen adstipulantur, & sentiunt, suasmet plagas Dominum contulisse Francisco. Ita D. Antoninus à Florentia 3. par. Historialis tit. 24. cap. 1. §. 3. *Quia enim uidebatur extincta*

memo

memoria Passionis Christi, in mentibus hominum præ tepiditate eorum, voluit Dominus excitare, & incalescere hanc recordationem per impressionem cicatricum manifestam in corpore Beati Francisci. Cicatrices vocant Patres impassibilis Christi vulnera gloriosa, quæ sibi retinuit rediuiuus: & tamen scimus patula esse foramina penetrantia carnem. Vide Gregorium Ambrosium, &c. Ita similiter Francisci plagas, nonnulli, cicatrices, clauigera tametsi vulnera, nuncupant. Easdem fuisse plagas affirmant Pontifices, Cardinales, & Ecclesiæ Proceres cum plusquã 160. Auctoribus Dei Famulę Ioannæ de Cruce reuelatum est in raptu extatico, vt videri licet in eius vitę historia, *Conorte* c. 58. vbi ait. *Fue tan vnido con el Señor en aquella hora, que le imprimiò sus Santissimas llagas de la misma manera que su Diuina Magestad las recibiò en la Cruz.*

Dextræ manuũ vulnus inflictum est prius, non quippem vt Ioannes Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 21. opinatur; vtriusq; nimirum simultanea palmæ fuisse. Adeas Brigithę, talis ac tantæ pietatis oraculum; lib. 1. c. 66. *Statim non coactus sed voluntariè extendit brachium suum, & aperta dextra manu posuit eam in Cruce, quam illi sæui tortores immaniter Crucifixerunt.* Et lib. 1. c. 10. Virgo Deipara Brigitham affata inquit. *Primò dexteram eius manum affigentes stipiti* Et lib. 4. c. 70. *Ad Crucem igitur iussus, dorsum vertit Filius meus, & manum postulatus, primò dexteram extendit.* Quare prius dextra manus affixas? Vt alluderet malo remedium. Primò namq; dextram Protoplastus extendit ad pomum: ita Gregorius Nazianz. de Pass. *Christi manum* inquit, *aduersùs manum positam.* Athanas. de Pass. & Cruce. *Vt lignum poneret aduersus lignum, manum aduersùs manum.* Daniel Mallonius c. 6. de Cruce, & titulo. *Manus autem Adæ primò incontinenter extensa fuit manus dextera: quia Aristoteles, & cum eo communiter Philosophi docẽt, dexteram esse à qua incipit motus. Quoniã ergo Adam dexteram primò incontinenter extendit, ideo & Christus*

manum suam dextram prius voluit Crucis clauis effigi. Paleotus de Sindone c.6.ait. *Is autem Crucifigendi modus erat; nā manum alteram hinc, alteram verò inde suffigebant, hoc est primùm dexteram mox sinistram*. Et ecce primatus in manu Francisci dextera. Traiecta est namq; primò. *Tunc Christus extendit manum suam dexteram super Beati Francisci manum dexteram ponendo &c.* Hæc tres Socij, vide superiùs, vbi de stigmatizatione fit sermo; inuenies vulnerum primatum in dextera.

Conformis, & similis, extitit stigmatizatio dexteræ Domini confixioni, quoad circumstantiam actus. §. 4.

EXtendit vltro manum Iesus lignoq; libenter apertam coaptauit. Ita Virgo Deipara Sanctæ Brigithę palam fecit. *Manum inquit, postulatus primò dexteram extendit.* Et lib. 1. cap. 66. *Statim non coactus sed voluntariè extendit brachium suum, & aperta sua dextra manu &c.* Extendit quoqne Frācifcus dexteram Sauciandam, & Ligno Vitæ, Christi nimirum manui Sauciandam libentissimè coaptauit. Vide superiùs narratiuam Sociorum historiam; ibi, *Surge Francisce extende aliam manum* habes; ibique Dominum rememorantem extensionem factam ad lignum. *Tunc Christus extendit manum suam dexteram ponendo.* Extendit vterq;, ambo Crucem agunt, ambo fixionis circumstantias prætendunt.

Conformis, & similis B. Francisci Domini volæ vulneri, quantitate, & qualitate. §. 5.

VVlnera manuum Domini Iesu ita erant magna, & ampla, vt digitus posset inferri. Patet hoc Ioannis elogio c. 20. *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorū, & mittam digitum meum in locum clauorum* Subinde Dominus. *Infer digitum tuum, &c.* Ampla quoque erant, & magna

gna B. Francisci vulnera: vide Chronicam; Conformit: vide Bonauenturam in descriptione stigmatum. Verba Chronicæ Thusco idiomate sunt hæc. *Di tal maniera, che dalla ferita principale, per la quale le mani eron forate da banda à banda co'detti chiodi, à quella delle punte ritorte, e confitte nelle parti di sopra di dette mani, vi era tanto spazio, che vi si metteua vn dito.* Eisdem verbis Cõformitates amplitudinem vulnerum describunt.

Rotunda erant Iesu vulnera, ita Paleotus in tractatu de Sacra Sindone, c. 17. *In eadem autem manu circulare vulnus, & grande satis est.* Et ego qui hæc scribo, vidi oculis istis indignis, in illo germano, quod habet Serenissimus Dux Magnus Ætruriæ, alterum velut exemplar, exemplo. Daniel Mallonius in elucidatione cap. 16. *Quæ clauorum forma figuraue fuerit an figuræ sphericæ, an trigonæ, an pentagonæ, an hexagonæ &c. etiam si clauos non videamus, tamen ex Sacræ Sindonis inspectione cognoscere possumus, sicut ex vestigio pedem. Plaga rotunda, rotundum clauum ostendit: tales autem debuisse adhiberi clauos ratio suadet.* Beati Frãcisci circularia fuisse ex Dialogo Fabij scimus; innuunt Chronicę, & Conformitates: testatur Gregorius Nonus in legenda B. Francisci quam refert Auctor Dialogi Sacri Montis; *orbiculares plagas Franciscus prętulit.*

Conformis est similis fuit situ. §. 6.

CHristus Dominus non in vlnis, vt aliqui affirmarunt, clauos habuit sed in medio manuum. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Zacharias Propheta. Nec Thomas ait, *nisi videro in brachijs eius fixuram clauorum*, sed *in manibus*. Nec Psãltes Regius brachia, sed *foderunt*, inquit, *manus meas.* B. Franciscus in medio manuum habuit vulnera. *Statim namq; in manibus eius, & pedibus apparere cœperunt signa clauorum Manus enim & pedes in ipso medio, clauis confixæ videbantur, clauorum capi*

tibus ininteriori parte pedum apparentibus. Hæc Doctor Seraphicus Bonauentura in legenda maiori, c. 13.

De Conformitate vulneris manus sinistræ.
§. 7.

LVcianus in Crucifixione Promethei, *Mercurius ait: sed iam porrige dexteram: Vulcane tu reclude, & affige malleo, potenter immisso. Præbe læuam.* Successiuè igitur affigebantur manus. Hinc magis clarescit, non simul Soteris nostri palmas funesto adhibitas ligno, prius dextram, læuam exin. Narrant Socij B. Francisci; præsertim Leo (qui super arduam illam, quę Sacræ Stigmatum tragędiæ loco imminet, rupem, obseruans, omnia vidit, & testimonium perhibuit) quòd postquam fuit in dextera Sauciatus, attonitus respiciebat Seraphim. *Cui stupēti ait Dominus. Surge Francisce extende aliam manum. Et fecit consimili modo in sinistra manu eius, & iterato cecidit in terrā.* Hæc Socij B. Francisci. Extensa fuit Christi læua crudeliter, vt ligni foramen attingeret. *Tunc etiam trahentes cū fune vehementer manum eius sinistram. Cruci affixerunt eam simili modo.* Brigitha lib. 7. cap. 17. Reuel. Fuit iste ex maioribus Christi doloribus vnus. Extensa fuit tametsi aliter, Francisci læua, maximoq; doloris acore, cum clamore valido cecidit.

Dicet quis forsitan, plagam sinistræ Domini Saluatoris fuisse, Sancta Sindone teste, non in media manu sed prope carpum; igitur dissimilis plagæ B. Francisci sinistræ? Nulla hinc antitheton oritur; chordę namq; qua tractum est brachium, vis, effecit vt iuxta carpum foramen extiterit. Contraxit enim se pellis digitos versus, & sic affixa est manus cute abducta. Verùm clauo extracto, pellis rediit suum locum; quamobrem ferri vestigium carpo finitimum sic remansit. Non autem penetrans vulnus ita se habuit; mediam namque



que manum telum acerbiſſimè terebrauit. Vide Mallonium de Sacra Sindone quàm diffusè, quàm piè, quàm doctè. Vulnus itaque manus lęuę, ſimilis & conformis extitit Ieſu Chriſti, quantitate, qualitateque analogica, ſitu, &c.




COSI HAVEVA XPÓ LE MANI
NEL SANTO SEPOLCRO

De conformitate pedum vulnerum. §. 8.

QVia mortis ęternę mancipium, Protoplastus homo, vtroque ad noxiale pomum constitit pede: Redemptor idcircò, ambobus institit ligno: amboq; adeo concitus agitauit, super aquas Redemptionis Iudæ vestigia. Simul fixi sunt pedes duobus clauis, alternantibus ictus malleis totidem. *Etsic iunctos pedes affixerunt in Cruce duobus clauis.* Brigith. lib. 7. c. 15. Claui duo; vterq; suum perpessus actorem. Ioannes Lanspergius hom. 41. de Pass. Dom. 36. ictibus mallei, affixos recitat fuisse stipiti pedes eius. *Tradunt deuoti quidam, quòd triginta, & sex mallei ictibus pedes Cruci affixerint.* Manus autem, 26. ictibus. In lib. Reuelat. extrauag. S. Brigithæ, alijsq; locis inuenies pedes Domini Iesu simul adactos. *Pedes deorsū tracti, et duobus Clauis perfossi, &c.* Ritus hic erat crucifigendi, vt plurium testimonio cōprobatur. *Vnusquisque vestrum clauos ipse adigit*, & quę lib. de beata vita subdit Seneca. Francisci, ad instar Christi, pedes non successiuè, sed simultaneè confixi sunt; vt patet ex Conformitatibus, alijsq; ordinis antiquissimis monimentis. Et historia Sociorum quid dicit? *Dominus posuit super pedes Francisci pedes suos, & ille plagatus, repentè clamauit, & cecidit in terram.*

Conformes & similes plagæ, dolore. §. 9.

DOlores Christi contemplatus Angelicus Thomas 3. par. q. 46. art. 6. ait. *Quia mors confixorum in Cruce est acerbissima: quia configuntur in locis neruosis, & maxime sensitiuis, scilicet in manibus, & pedibus.* Acerbissimi cruciatus, angustię Crucis amaræ: dolores arguti, asperrimi, animamq; excutiētes, erant illi quos Dominus passus est. Audiamus cum Brigitha eius lamenta. *Pedes deorsum tracti, & duobus clauis perfossi: nec aliud sustentaculum habebat nisi*

nisi clauos. Cor meum plenum erat dolore; & quia recentissima erat naturę, & optimæ, ideo dolor quandoq; exibat ad cor; & iterum à corde ad neruos, & sic augmentabatur dolor, & prolongabatur mors. Extensum erat corpus Sanctissimum sicut fides Citharæ; & iste fuit sæuissimus dolor, qui eius cor incessanter iaculis arduis inuadebat. Accipe Matris eloquium, ad lugubrem Brigitham lib. 1. cap. 10. *Quia Filius meus naturæ optimæ erat, ideo vita cum morte in eius corpore perforato certabat. Nam quandoq; dolor de membris, & neruis perforatis ad cor ascendebat; & incredibili dolore, & passione vexabat ipsum, & quandoque dolor à corde ad neruos, & membra perforata descendebat, & sic mortem prolongabat cum amaritudine,* & c. 27. *Dolor neruorum perforatorum accessit inconsolabiliter ad cor eius.* Etsi noster eodem gradu Christi dolore Franciscus non tulerit; ad proportionem tamē eosdem perpessus est, prętertim in pedum confossione, laterisq; apertione. Vnde quum ei vulnera Christus inflixit, altum ad nubes edidit ipse clamorem, *Domine*, inquiens, *quis poterit sustinere tales dolores?* Ioanna de Cruce, tragediam istam intuita raptu extatico, mortuum fermè vidit, ni diuinitus Ecclesię frugi seruare sanxisset *Haziendo salir sangre y dar grandissimos gritos diziendo que no podia sufrir tan grandes dolores. Cayo en tierra come muerto, y moria ciertamente alli de dolor, si Dios no lo huuiesse guardado por espexo del mundo, llagado con tanta marauilla.* Ribadeneyra 2. par. Flos Sanct. de B. Fran. *Porque padeciesse mas, y con los grandes dolores que sentia, fuesse vn retrato de los dolores, y tormentos del mismo Christo.* Christophorus Fonseca 4. p. lib. 1. vit. Chris. *communicauit ei tormentum suum.* Vbertinus, lib. 5. c. 3. Arbor. Vit. Cruc. Iesu ait: *ipsum mentaliter, & corporaliter martirizans, & vulnerans doloribus, & vulneribus suæ Sanctissimæ Passionis.* Magister Theologus Conformitatum, c. Fran. consignatur: *Christus enim B. Francisco dedit stigmata sua, & suorum stigmatum dolorem, quem in talium à Iudæis impressione fuerat ipse expertus.* Idipsum Doctor Sera-

raphicus in concionibus,& legenda; idipſum adſtruūt pluſquam centum: dediſſe dolores ſuos Ieſum Beato Franciſco ſenſibiles. Diximus ad proportionem;ſed in conueniens nullum eſt dicere, eiuſdem doloris gradus intēſionem ſuo Ieſum Seruo dilecto fuiſſe Dominum impertitū:quandoquidem huius faciundi facultas non deſit,Omnipotens eſt, operans quidem ſecundum cōſilium voluntatis ſuæ. Magiſter Theologus Conformitatum apparitionem, & reuelationem factam à B. Virgine Dei Matre, Fratri Petro de Monticulo refert huiuſmodi.*Frater Petrus de Monticulo Sanctitate inſignis, dum in die Veneris Sancta Domini Paſſionem meditaretur; immiſſum eſt menti ſuæ, velle ſcire, quis magis doluit de Dominica Paſſione; an B. Maria, ſeu Ioannes Euangeliſta, an B.Franciſcus ſtigmatizatus à Chriſto? Et cum ſic in oratione eſſet, & dicta cogitaret, ſubito eidem Virgo Beata cum Ioanne Euangeliſta, & B.Franciſco apparuit. Quos cum dictus Frater Petrus videret, & ſtupefactus eſſet; Beatus Ioannes cœpit eum alloqui dicens. Scias Petre,quòd poſt nos duos Franciſcus plus doluit de paſſione Chriſti præ omnibus alijs Sanctis.* Adijcimus hìc,reuerentiæ gratia,qui primitias ſpiritus habuere, Sacri Collegij Proceres(Apoſtolos inquam)Frāciſco præferimus, magiſq; quàm ipſe mortem Domini deploraſſe, ac doluiſſe nequicquam inficiamur.

Conformes, & ſimiles pedum Franciſci plagæ, Chriſti pedum vulneribus figura, & ſitu. §. 2.

VVlnera Domini Ieſu pedum myſterijs affluunt, dum in obliquum tendunt; inflicta difformiter; obliquitas hęc figurata fuit 3.Reg. 6.vbi de Templi feneſtris legitur.*Fecit in Templo feneſtras obliquas.* Infuſa vtique mente tales fecit,vt illius Templi,horarum trium ſpatio diſſoluti,reędificatiq; triduò, fores adumbrarēt. *In Templi veſtibulo, & in eodem met Templo feneſtras obliquas.* Ezech.


Ezech.40.& 41.Templum Sacrosanctissimum Diuinitatis Christi humanitas comperitur: de qua ipsé in Euang. *Soluite Templum hoc, & in tribus diebus reędificabo illud* explanat Ioannes dicens: *hoc autem dicebat de templo corporis sui.* In huius templi vestibulo, vestigijs scilicet, obliquæ plagæ sunt. Pedes vestibulum nobis humile præbēt quemadmodum, & Heroinæ Seraphicæ Magdalenæ salutis initium pręstitere. Hinc Euangelicus Vates Isaias,c.1.à pedibus initium sumit,dicens: *à planta pedis vsq; ad verticem non est in eo sanitas.* Nec modò in vestibulo Templi ait Ezechiel, sed in eodem Templo intus obliquę valuę: optimè: vulnus enim lateris Sacrosanctum,in obliquum abijt, dum lancea ad costas vsq; perueniens,cor transfixit;non enim vbi solet pingi, ipsum extitit vulnus inflictum. Audias B. Vincentium de Pass. Dom. *Hoc vulnus secundùm Alexandrum de Ales non fuit Christo infixum in ea parte, qua pingi solet, per ossa scilicet pectoralia, sed fuit inferiùs inter molliciem carneam, & inter ossa pectoralia, & femoralia, & sic sursum ascendit ad cor.* Spinarum aculei multas quoq; obliquarunt fixuras in venerando Iesu capite. Sinistrę verò manus obliqua describitur à Mallonio, & Paleoto, ostenditq; Sindon Taurina, prout supra videtur ipsius manus in anteriori parte propè carpum vulneratę. Clauus enim aggressus est mediam;dehinc manum,carpum versùs adegit. Diuersitas insuper ingressus,& exitus clarum, plures fuisse indicat. Eiusmodi verò non ambigimus Francisci plagas infixas, ne variaret ab imprimente ico signaculo. In pedum medio traiectus, Crucifixeis habuit vulnera configurata;talia,tantaq; qualia quantaq; Dominus ipse suscepit. Cęterum figura illa manuum ab originali Prototypo Taurino desumpta est, sicut & pedum,quę sequitur.

De

De vulnere dextri pedis. §. 11.

CONtemplare queſo Lector mi candide introitum, exitumq; claui in dextro Saluatoris pede. Fidele tranſlatum credito, vidimuſque oculis hiſce, verum exemplaris eſſe exemplum, quod hic ponitur. Daniel Mallonius in elucidationibus de Sacra Sindone c. 19. *vulnus*, inquit, *dextri pedis, magis à tibia, versùs digitos pedis protenditur, quàm vulnus ſiniſtri pedis ab extremis digitis, versùs tibiam diſtat, tribus vncijs cum dimidia*. Proſequitur dicens. *Vulnus enim dextri pedis, qui ſuper pectuſculum ab extremis digitis, vncijs tribus cum dimidia diſtat. In planta tamen ab ijſdem extremis digitis, duabus tamen vncijs cum dimidia diſtat*. Habes hic obliquas in veſtibulo templi feneſtras. Perpende ſchema; ſiſte acies, contemplare hunc, alterum inde pedem, clauos duos.





Piede di Cristo destro



Piede di Cristo destro

De vulnere pedis sinistri. §. 12.

LÆui pedis vulnus nimiùm differt à vulnere dextri; latius namq; patentiusque videtur ipsius sinistri, quàm dextri foramen: dissimile quoq; situ, ingressuq; & claui egressu. Ita Mallonius acie lyncea venerandę Sindonis contemplator, cap. 10. fol. 243. *igitur*, inquiēs, *plaga, quæ in pectusculo sinistri pedis conspicitur, latior, ac patentior est, quàm quæ in dextro pede conspicitur*. Eodem capite, fol. 247. Describens læui eiusce pedis vulnus, fatur hoc modo. *Vulnus autem sinistri pedis, qui supra collum, ab extremitate digitorum eiusdem pedis, vnciјs quinque distat, in planta tamen quatuor non integris vnciјs distat*. Aspice deniq; Sanctum Schema, tuis hic appositum oculis. Circulares tandem agnosce plagas. Mallonius de orbicularitate, loco citato ait: *Vtraq; tamen plaga, tam dextri, quàm sinistri pedis, circularis, vt clauos non quadratè, sed rotundè pyramidatos agnoscamus*. Rotundæ quoque erant plagæ B. Francisci, Historias consule: interea sinistri Sacrosanctum, adorandum, colendumque pedis vulnus aspecta.



Con-


Piede di Cristo Sinistro


Cristo

Conformes Francisci claui numero, figura, colore, longitudine, & magnitudine Christi clauis. §.

Numero.

DVello Seraphico Christi clauorum numerum, pugnāt Sancti D. Anselmus, in Dialogo Passionis D. Gregorius Nazianzenus de Christi patiente D. Bonauentura, in Meditat. c. 78. Lodulphus de vita Christi Philippus Diez serm. 3. de Passione, Dom. Ioannes Aquilanus serm. de Passione pro tribus dimicant Alphō sus Tostatus; Iustus Lypsius, lib. 2. de Cruce, c. 9. Guillelmus Durantes in Rationale diuin. offic. c. de Parasceuę; Soarez tom. 2. D. Thomas 3. p. Baron. An. Chris. 34. & anno 326. Alphonsus Paleotus de Sindone, alijq; nonnulli, sub ancipiti rem nobis crepusculo reliquere.

Verùm D. Gregorius Turonensis, de gloria Martyrum, cap. 6. pro quatuor strenuissimè conflictatur. *Clarum*, inquit, *ergo Dominicorum gratia, quòd quatuor fuerint, hæc est ratio; duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis.* Magnus Pater Augustinus in Meditat. c. 6. *immaculata Christi vestigia, diris confixa clauis* Ibidemq; ipse, c. 31. *Violari clauis pedes, & manus Plasmatoris &c.* D. Cyprianus, serm. de Pass. Dom. *clauis sacros pedes terebrantibus*, Bartholomęus Medina, in 3. p. S. Thom. q. 46. art. 11. Franciscus Samarinus 4. par. Sacerdotalis: Cardinalis Toletus in c. 19. Ioannis ad verba illa; *fecerunt quatuor partes, vnicuiq; Militi partem.* Fautores pietatis huiusce se prębent Ioannes Lauspergius hom. 41. de Pass. Innocentius 3. serm. de vno Martyre; Ioannes Cretserus lib. 1. de Cruce Christi cap. 21. Daniel Mallonius in descriptione Sacrę Sindonis, c. 19.

Accedit antiquissimus Crucifigendi ritus quatuor nempè clauis. Seneca lib. de beata vita; *vnusquisque vestrum clauos suos ipse adigit.* Plautus in Mustell. *Ego dabo ei talentum, primus qui in Crucem excurrerit; sed ea lege, vt affigantur bis pedes, bis brachia.* Baronius An. 34. *id quidem secun-*

dum antiquum crucifigendi ritum. De Christo Domino antiquiores imagines, quatuor ipsum affixum clauis repræsentant; nempe seorsum singulis pedibus singulis confixis clauis. Testãtur imagines peruetustæ non paucæ. In Cathedrali Ecclesia ciuitatis Calaris in Sardinia, cum quatuor clauis longæua Sanctissimi Crucifixi Icona vidi. In Ecclesia Sãctæ Mariæ Maioris, Romæ, vidi sculptile Sacrosanctũ Crucifixi Iesu, cum quatuor clauis. In Vrbe Lucensio imago illa tam insignis, & venerabilis, cum quatuor clauis Syrol cum quatuor clauis habet Crucifixum. In vrbe Assisio, in monasterio Sanctæ Claræ Crucifixum ipsum, qui B. Franciscum affatus est, dicens, *Francisce vade repara domum meam, quæ labitur*, vidi cum quatuor clauis, estq; pictilis, non autem sculptilis. Extant plures imagines; Gallonius de Martyrum cruciatibus, hunc fuisse vniuersalem, & communem Crucifigendi modum, amplissimè differit. Accedit Brigithæ testimoniũ, lib. 7. c. 13. pluriesq; geminis affixos clauis Domini pedes commendat. *Deinde*, inquit, *extenso corpore vltra modum in Cruce posita fuit vna tibia eius super aliam, & sic iunctos pedes affixerunt in Cruce duobus clauis.* Et lib. extrauag. Reuel. c. 51. Ipse Dominus reuelans ad seruam suam ait. *Pedes deorsum tracti, & duobus clauis perfossi, nec aliud sustentaculum habebam nisi clauos.*

Quatuor clauis singularis amasiis Crucifixi Iesu manus pedesq; gerebat infixos. *Manus enim, & pedes in ipso medio clauis confixæ videbantur. Clauorum capitibus in interiori parte manuum, & superiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus existentibus ex aduerso: erantq; clauorum capita in manibus, & pedibus rotunda, & nigra, ipsa verò acumina oblonga, retorta & quasi repercussa.* Bonau. cap. 13. Legendæ B. Franc. Alexander 4. Pont. Max. oculatus testis (quippè qui vidit, & contrectauit clauos, & vulnera, inter Mortales agente Diuo) *Viderunt namq; oculi fideliter intuentes, & certissimè contrectantium digiti palpauerunt,*

quod

quod in manibus, & pedibus expressa vndiq; similitudo clauorũ de subiecto propriæ carnis excreuit, vel de materia nouę creationis accreuit. Habes in Speculo Minorum, tract 1 & in Decretali, *Benigna opera Diuinæ voluntatis*. Theologus Conformitatum lib. 3 fruct 31. *In manibus, & pedibus claui apparuerunt, qui de subiecto propriæ carnis facti, vel de materia noua creationis, vt dicit Papa Alex* 4. Chron. Ordinis p. 1. lib. 2. c. 55. Rodulphus, Doctor Mayronius, B Bernardinus Senensis, Vbertinus à Casale, & plusquam 150. tum nostri, cum aliorum quoq; Ordinum Auctores. clauos quatuor mirificè fabrefactos concorditer asserunt. Ioannes de Angelis, in Dialog. 6. *In manibus, & pedibus suis formatos clauos*. Bosius de signis Ecclesiæ tom 2. lib. 15. c. 3. *Vulgatissimum est, corpori Sancti Francisci, Diuitus fuisse impressa qu nq; Christi vulnera, & è carne ipsius mirabiliter clauos ad manus ac pedes conformatos*. Doctor Basilius Sanctorũ, in vita B Fran. *In manibus ac pedibus claui*. Auctor historię Seraphicæ in antiloquio ad Lectorem. *Quem Sacris clauis, arte d uina fabrefactis, in medijs vulnerum pedum manuumq; fixis*. Socij Beati Francisci, vt patet in *Speculo*, singularem in seriem agitant clauigium isthoc; hæc interea. *Christus in specie Seraph, alatus, veluti Crucifixus, imprimens Sancto Francisco tam clauos, quàm stigmata in manibus, & pedibus, & latere*. En claui B. Francisci, clauis Christi similes numero.

Figura.

CLauos Iesu Domini Crucifixi, teretes non à nemine describuntur: Daniel Mallonius de Sindone cap. 19. *vtraq; plaga tam dextri, quàm sinistri pedis circularis est: vt clauos, non quadratè, sed rotundè pyramidatos agnoscamus*. Vidimus hisce oculis vulnerum signa in ipsa Sindone sed & manuum circularia sunt: atque ex ipsis, vt pes è vestigio, clauorum rotunditas agnoscitur Frãcisci membris innati orbiculares etiam claui, Doctore Seraphico teste, qui in legenda maiori, c 13. *Capita* in-

quit, *in manibus, & pedibus rotunda*. Rotundatur pariter claui, Romæ asseruati, caput. At nec stipes aliter sese clauorum habebant, vt Auctores Dialogorum Mōtis Aluernę scripto nobis prodidere. Marcus Fabius, & Augustinus à Millio lib 1.c.8. referens quidem Gregorium IX. *Sic erant*, aientem, *signa clauorum in manibus teretum, & sic in pedibus, ostendentium rotunditatem*.

Colore.

DVplex color erat Christi clauis, genuinus, hic ferri; accessorius, hic carnis. Illa enim quæ intus in carne pars erat, hærentis carnis, & sanguinis tegumento, non quidem nigra, sed flaua penitus ratione indice, videbatur; vertices autem ferruginei. Hæc eadem in Franciscanis clauis deprehenditur colorum duplicitas. nigri videlicet, atq; flaui. *Erantq, clauorum capita in manibus, & pedibus rotunda, & nigra*. Bonauentura, in legenda c.13. *erat autem similitudo clauorum nigra quasi ferrum*. Officium Translationis, S. Franc, Maij die 15. idipsum Cōform. & Chron. En color niger. Missale Romanum antiquum Lugduni anno Dom. 1526. excussum in sequentia Missę B.Fran. habet hęc.

TVnc ex alto vir Ierarcha
Venit, ecce Rex Monarcha,
Pauet iste Patriarcha
Visione territus.
Defert ille signa Christi
Cicatricem confert isti,
Dum miratur corde tristi
Passionem tacitus.
Sacrum corpus consignatur,
Dextrum latus perforatur,
Cor amore inflammatur,
Cruentatum sanguine.

Verba

Verba miscent arcanorum,
Multa clarent futurorum,
Videt Sanctus vim dictorum
Mystico spiramine.
Patent statim miri claui,
Nigri foris intus flaui,
Pungit dolor pœna graui
Cruciant aculei.
Cessat artis armatura
In membrorum apertura,
Non impressit hos natura
Non tortura mallei.
Signa Crucis quæ portasti
Vnde mundo triumphasti,
Carnem hostem superasti
Inclyta victoria.

EN quidem flauus color, nimirum ibi, *nigri foris, intus flaui*: En bina colorum dualitate conformitas.

Longitudine, & magnitudine.

CHristi Iesu magnis ac longis traiectę manus, transfixiq; pedes clauis erant. *Claui autem longè vltra stipitem protendebantur.* Brigitha, lib 2 c.21. Ad quę Mallonius de Sindone. *Ex tanta clauorum longitudine qui non solùm pedes, & non solùm durum Crucis stipitem, sed longè vltra stipitem protendebantur, agnoscere quis poterit, quanta eorumdem debuerit esse grossities, quanta magnitudo* subdit postea. *Tum illa quæ supra de clauorum longitudine.* Idipsum Paleotus de Sindone Domini, c 16. *Cum clauis admodum magnis vt Tostatus animaduertit.* Commentator Mallonius ibidem fol. 192. *Clauos quibus Christi corpus Cruci affixum est, magnos & longos fuisse, & Doctores & Patres passim docent.*

Analogicè ad proportionemque Franciscani claui,

longitudine necnon, & magnitudine pollebant. *Ipsa verò acumina oblonga, & quasi repercussa quæ de ipsa carne surgentia, carnem reliquam excedebant.* Bonauentura in legenda maiori, c. 13. *Erant dicti claui non breues, sed longi; vt potè transeuntes de vna superficie manuum, & pedum, ad aliam, & adeò longi vt non in longo manerent, sed recuruarentur ab alia parte egredientes, & adeo erat eminens, quòd intra recuruationem circularem ipsorum, digitus manus immitti valeret; & prominentes adeò erant ipsæ recuruationes in pedum parte inferiori, vt minimè applicari pedes terræ permitteretur. Vnde oportebat Beatum Franciscum, vel in vltima parte pedum, scilicet calcaneis semper incederet; vel asello, seu à Fratribus deportari* Bartholomæus Pisanus in Conform. cap. *Franc. consignatur.* Doctissimus Pater Pelbartus à Themesuar, serm. B. Fran. *Capita clauorum in interiori parte manuum. & superiori pedum erant rotunda, et ex aduerso erant acumina eorum oblonga, retorta, et quasi repercussa virtute Diuina; cum nec incus, nec malleus ibi fuerint. Et erant recuruata clauorum acumina, adeò prominenter, quòd intra recuruationem arcualem ipsorum, digitus immitti valeret. Vnde nec plantas pedum solo applicari liberè sinebat, sed oportebat in calcaneis incedere.* Hoc Franciscani cothurno se gerunt socij: isthac omnes propè stigmatum præconia exercentes, eloquij serie gradiuntur. Nosce beneuole, cerne mi candide, pie Lector, quàm bellè Serui respondeant claui Dominicis.

Conforme Christi laterali vulneri, Franciscanum. §. 14.

PRetioso lateris Christi vulneri; ostio lateris; portæ orientali, trihorio diruti, triduoq; reparati Templi: sacro ad inde thesauros exhauriendos gazophylacio patefacto; Petræ foramini; cauernæ maceriæ; refugio Erinaceis: fonti Iacob; puteo aquarum Viuentiū; Charitatis ærario; mari æneo; Vrim, & Thumim (manifestationibus inquam, & illuminationibus) arcanorū Dei con-

consiliorum; eius necnon misericordiæ diuitiarum; Eoæ fenestrę, per quam Crucis ex arcu, salutis emissa sagitta: lapidicinę vnde Fideles excisi, totumq; natum Ecclesię opificium; petrę percussę, ex qua manarunt scripturarum fluenta, & doctrinę cœlestis aperta spiracula: libri Vitę maiusculo caracteri, Francisci lateris apertura conformis, eius vulnus assimile; situ videlicet, figura scilicet, largitate nimirum.

Situ.

LAncea, quam declinauit **David**, (**mysticè fando**) in Domini latus impegit, & continuò exiuit sanguis, & aqua. Quod nam latus? Dextrum quidem, non læuum næ, vt auiè quidam autumnarunt. Valeant Patrũ elogia, Athanasij de Passione imaginis Christi; Augustini lib. 15. de Ciuit. Dei c. 26. contra Faustum, lib. 12. 16. & 39. Ruperti Abbatis in lib. 3. Reg. c. 10. Ambrosij lib. 1. offic. c. 17. innocẽtij 3. lib. 2. de Sacro Altaris Mysterio, cap. 54. Iuo tract. seu epistola 235. de ceremonijs Missæ. Valeat antiqua picturarũ auctoritas, & Ecclesię vniuersalis acceptio, vt non sinistro sed dextro lateri vulnus credatur inflictum. Hinc à dextro latere redundãt aquæ, Ezech. 47. lex ignea Messię dextera; in Deuteron. Hinc armũ dextrũ in portione sua de pacificorum hostijs Sacerdos habuit; Leuit. 7. hinc ostium lateris medij in pariete erat domus dextrę, 3. Reg. c. 7. hinc in dextro positum latere mare, 2. Paral. 4. Hinc demum septẽ stellę in dextera Christi, Apocal. 1. hæc verò 7. Sacramenta sunt: hæc autem à Christi latere profluxere. Claudat Brigitha verum hocce, lib. 7. Reuel. c. 15. *venit* inquiens, *vnus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceã in eius latere dextro.*

Præfert Seraphicus Crucifixi amasius, gerit in dextro Franciscus latere vulnus assimile Saluatori. *Dex-*

trum quoq; latus quasi lancea transfixum; Bona. in legen. c. 13. *sacrum corpus consignatur, dextrum perforatur.* Missale Romanum antiquum typis Lugduni. Attestantur Heroes amplissimi literaturæ; Theolog. Conformitatum pluries: Chronicalia ordinis monimenta; Pontifices, Cardinales, & Presules venerandi. Nostræ pacis Assertor, & vitę Iesus, nō ea qua pingitur parte, traiectus est, sed inferius subter mammam, teste Sindone Taurinēsi. Scimus Antonium Glissando, quęst. 75. de Parasceue, Alexandri Alensis elogium referentem: Pipinū, serm. de Christo patiente: D. Vincentium, & alios inter pectoralia; & femoralia ossa iuxta ilia Sauciatum Iesum fuisse tradentes: potiorem tamen fidem Sacræ Sindoni accommodare tenemur. Eodem loco Franciscus habuit carnis hiatum; innuit Doctor Seraphicus, c. 13. legendę, dum ait: *proinde portabat ex tunc femoralia ita facta, vt vsq; ad ascellas pertingerent, ad vulnus lateris contegendum.* Idipsum Conformitates, Chronicę, Dialogi, & historiæ plures affirmant. Hinc est nucleus: quippe si vulnus inferius ipsum foret, nequicquam ad ascellas vsq; femoralia detulisset. Similis igitur, & conformis extitit apertura lateris Franciscani, Soteris vulneri laterali. *Inuenta quoq; fuit patentiùs in ipsius corpore, non inflicta humanitus, neq; facta Plaga vulneris lateralis, instar vulnerati lateris Saluatoris.* Bona c. 15. *Duodecimum miraculum erat de vulnere laterali ad instar vulneris lateris Christi.* Conformitatum Auctor, cum Alexandro 4. Pont. Max. alijsq; ingentis fidei Viris.

Figura.

ORbicularis Plaga Sanctissima Christi lateris in Sindone Taurina deprehenditur, lanceę ferro proditur, vt graphico patet, quod sequitur, schemate. Nō huic absimilis Franciscani vulneris forma. *Vulnus autem*

tem lateris rubeum, & ad orbicularitatem quandam carnis contractione deductum Bona.in legend.c.15. Hiſcemet verbis officium Minorum, Translationis feſto. *Plaga lateris potiùs in forma rotunda quàm aliter.* Chron ord par. 1.lib.2.c. 72. Sufficit tandem fuiſſe ſimilem Saluatoriæ. *Ad instar lateris Salubtor is.* Conformitates, & Chronica. *Plaga vulneris lateralis instar vulnerati lateris Saluatoris.* Bonau. in legen. Auctores antiqui, & moderni Aluernę Dialogorum multis in locis: alijq; per plures. Accipe ſchema Lanceæ, vt extat in Vaticano.



Vi-



VIdes mutilam cuspide lanceam, vt Vaticanum tēplum seruat: quam Rutilius Benzonius, lib. 1. de fuga, disp. 2. quęst. 3 mucronis expertem elogizat. *In Basilica, inquiens, Sancti Petri aßeruatur; quam ego sæpe sæpius, cum essem eiusdem Canonicus, maxima cordis deuotione, & spirituali gustu contrectaui, & populis reuerenter ostendi; licèt ei summitas desit,* Per annos mille delituit pignus istud apud Antiochiam, in Ecclesia D. Andreæ, quousq; ipse cuidam Viro Dei, Sanctus apparuit, eamq; detexit absconditam. Inuenta autem multis miraculis coruscauit, vt tradunt Guillelmus Tyrius lib. 6. de bello Sacro: Paulus Emilius lib. 4. de gestis Francorum: Bergomensis in supplemento, anno 1099.

Magnitudine, & largitate.

CHristi vulnera magna, & ampla erant. Magna: *affer manum tuam, & mitte in latus meum infer digitum tuum huc* Ioa. 20. Benzonius loco citato, de lancea loquens, ait: *quòd magnitudo vulneris in ea quantitate fuerit, ac est latitudo manus, manifestum fit ex magnitudine lanceę, quæ in Basilica S. Petri asseruatur, quam ego sæpe &c.* Ioannes Lanspergius, de Pass. Dom. Hom. 44. Brigitha lib. 1. c. 10. lib. 4. c. 70. lib. 7. c. 15. lib. 2. c. 21. Alphonsus Paleotus de Sindone c. 20. Mallonius in elucidationibus c. 20. fol. 262. alijq; Doctores huiusmodi vulnerum immodicitatem commendant. Idemq; Alphonsus c. 16. *Hæc autem manuum vulnera Seruatori vehementissimum dolorem attulerunt, cum clauis admodùm magnis perfossæ fuissent, vt Tostatus animaduertit.* Francisci vulnera quoq; magna, ad instar vulnerum Saluatoris, vt plenè disseruit Henricus Sedulius in Commentarijs, aliq; per plures auctorato perhibent testimonio. Accipe Theologi Conformitatum de lateris aliarumq; plagarum elogium. *Similiter quidam frater alius modo uidit consimili, ac tres digitos immittens &c.*

Sub-


Subditq; de ipsis. *Inter quos Dominus Hieronymus miles, cũ esset de præfatis incredulus, audacter se ingerens, clauos manuũ, & pedum coram omnibus tetigit, & demum digitos, ut alter Thomas Apostolus in uulnus immisit.* Digitos, non digitum ait. Idipsum testantur historiæ Chronicales.

Lata quoq; & ampla erant vulnera Saluatoris, non modò propter clauorum corpulentiam, & grossitiem, verùm, & propter discerptionem carnis, ex motu, corporisq; confixi agitatione. *In parte, vi pre ceteris sentiendi prædita, & cum totius corporis pondus sustinerent, ut ampliora fierent* Illustriss. Alphonsus, de Sindone, c. 16. idem cõmentaror Mallonius c. 16. fol. 197. *Illud etiam fatendum necessariò est, clauos quibus manus transuerberatæ Cruci affigebantur, potissimum pondus, saltem uiuente Christo, in Cruce sustinuisse: licèt post mortem, maius pondus corporis, pedum claui sustentarint.* Alludit Brigithæ dictis, ascensiones Christum ingeminantem Crucis infixum stipiti, referentis. Ait insuper Mallonius. *Tunc igitur uulnera manibus inflicta clauis, laxabantur, ac dilatabantur. Hoc enim experientia adeò clare ostendit. ut persæpe si manus hominum, aut cadauerum in Crucem actorum, tenuioribus clauis perforentur discerptis manibus.* Subditq; *laxationem hanc uulnerum &c.* Cancellarius Parisiensis, in meditat. *de Crucifixione acerba*; hunc in modũ lacerationem hanc vulnerum euoluit, dicens: *ex corporis namque ponderositate pedum ac manuum uulnera lacerata sunt, ac dilatata.* Landolphus de Vita Christi, c. 53. *Tunc lacerabantur vulnera manuum, & pedum ex ponderositate corporis.* Deipara Virgo, Brigithę inquit. *Appropinquante morte, manus eius retraxerunt se modicùm de loco perforationis, & pondus corporis pedes ampliùs sustentabant* Francisci vulnera quàm fuerint ampla, & lata, Cõformitates, & Chronicæ monstrant; quippe qui panni cum filis frustula vulneribus inferebat, eaq; opplebat, spatiosa foramina præferebat. En ostia Vitæ, Salutis ianuę: en Saluatoris aperti fontes: pulcherrima Christi lapidis cælatura; opusq;

opuſque Phrygionicum, acu pictum, & ocellatum: En oculi ſuper Lapidem viſi; oculi carnei, columbini, amatorij, lactei: Ecce nimirum purpurarij canales, ad quos in regiam Chriſti purpuram tingitur anima: Eccere Pontificiæ veſtis tintinnabula, en mala Punica: en quidem nobiſcum initi fœderis, & amicitiæ teſtes; Libri Vitę maiuſculi caracteres; opus pretioſum, cęlatura gemmarij ſculptum in carne B. Franciſci. Sed nũc eccere quoq; ſacerrimum eius corpus, thuribulum aureum forma ſuapte, vnde amor ille Seraphicus inſtar thymiamatis exhalatus; Adeſt hic clypeus, adeſt pelta myſterio triangulari mirabiliter inſignita: Imperatoris Chriſti Labarum, Lagena illa fracta ex qua talis ac tantus emicat ſplendor; ſtola candida, in vuæ Chriſti ſanguine tincta: ſuperhumerale cum ſuis onychinis, opera ſculptoris, & cęlatura gemmarij ſculptis: paſſer ex duobus immolatus, auis tincta per totum: adeſt hic Regius equus rufus, paratus ad diem belli. *Collaudetur Crucifixus tollens mundi ſcelera.*



Quem



Propalantur stigmata, signa crebrescunt. *Lib. 6.*

Discedit Seraphim; iacet Franc. Leo erigit. *Cap. 1.*

ACcinctus roseæ Crucis omnipotentibus armis, Seraphicus Princeps noster magnusque Monarcha, Relligionis; humi iacet; ad quem cœlicus ales. *Scis quid fecerim tibi? Ego dedi tibi stigmata mea, insignum quòd vexillifer meus effectus sis*; hæc & alia fatus est Christus, vt in Antiquitatibus Franciscanis, & Speculo, Centuria 2.c.13. Dixit & in cęlum fulgens se proripit alis: in cœlum cantante choro Angelorum, *Te Deum Laudamus.* Manet Franciscus extensus hanc super aspersam sanguine rupem, ad; horam vsque Nonam, velut exanimis; quò Leo socius, & Confessor, accessit, erexit, & modo quo potuit in cella reposuit. *Beatus Franciscus iacuit in terra vsque ad horam Nonam. Tunc frater Leo superueniens, & videns prostratum leuauit eum.* Hęc Speculum S. Fran. En hic (mysticè loquendo) *Fecit Dominus exercituũ in Monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ. Exultabimus, & lętabimur in salutari eius; quia requieuit manus Domini in Monte isto, & triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur paleę in plaustro, & extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum.* Iuxta Isaiam c. 25. Crucifixus inquã Lauernus extat sub hoc Monte, Typhæiq; instar vrgetur, mole isthac mysterij vulnerum Sacrosancti. Meritoq; *extendet manus suas, sicut extendit natans ad natandum*; Ipse quippe Crucis exprimit formam natans. En Franciscus mendicus, & pauper, *humiliauit gloriam eius*, (Sathan Lauerni) *cum allisione manuum eius*: Dehiscito; mergitor;

gitot; siquidem, *munimenta sublimium murorum tuorum concident, & humiliabuntur, & detrahentur*, o Moab, *in terram vsque ad puluerem*. Conuiuium vindemiæ, musti videlicet, hoc est sanguinis; fecit Dominus hodie in Monte Aluernæ, pinguium vulnerum medullatorum; Medullę? Claui.

De Rupe, supra quam B. Franciscus stigmata Sacra recepit. §. 1.

CRucem Domini pedum 15. longitudine, 8. latitudine constitisse, notæ non imę Auctores tradunt. De longitudine; *Longitudo Crucis, vt dicit Magister in historia scholastica in tractatu de Passione quoad lignum erectum fuit quindecim pedum.* Ita Magister Theologus Conformitatum lib. 3. fruct. 31. *Ideo dicitur sub Cruce cecidisse: nec mirum, ex remissione sanguinis omnium venarum, & magnitudinis Crucis, quę habebat in longitudine pedes 15.* S. Vincen. serm. de Pass. Dom. *Vt enim dicitur in historijs, opinio est Crucem 15. pedes habuisse in longitudine.* Landulphus de Pass. Domini. De latitudine autem Basilius Lopes Cisterciensis in suo tract. de Via Crucis, c. 2. Hispano ait. *Tambien es justo que aduiertas el graue peso de la Cruz, que segun afirman algunos, tenia quinze pies de largo, y ocho los braços.* Petra, scilicet pauimentum, super quam stigmatizatus est B. Frãciscus, 15. pedes ab Altaris angulo, ad murum Ostij Capellę Sacrorum stigmatum habet integros adęquatosq; hisce pedibus egomet ipse dimensus sum. Illa siquidem ipsa est quadra petra, circum, & quam circa, noster Seraphicus Iacob non cum Angelo, sed Angelorum ipso cum Rege luctam exercuit; Vnde non vno sed vtroque pede, imò & manu, quin & latere tactus emarcuit. Ipsa est palęstræ locus eiusce: ipsa tandem Phanuel sacrum, vbi Deum incarnatum impassibilem, & immortalem Franciscus facie ad faciem vidit, & salua

facta

facta est anima eius. Ortusq; est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel, ipse verò claudicabat vtroq; pede. Meritò igitur carnes non comedunt eius filij die Veneris, non solùm ratione voti, verùm quia, & die ipso (vt supra ostendimus) in saucia Patris carne emarcuisse videntur, vsq; in præsentem diem, eò qùod tetigerit Seraphim carnes eius, & obstupuerit, atq; extactu macer euaserit. Latitudo autem 8. pedum ipsi inest lapidi à sedilibus ad sedilia vtrinq; dimensa, vt eos meopte pede signaui.

Mirabilis alia stigmatizationis B. Francisci ad Crucifixionis Christi locum conformitas eliquet. Sepulchrũ enim à loco Crucifixionis distat 108. pedes hoc est 27. passus consule Adricomium, in descriptione Ierusalẽ, nu. 118. & num. 239 Floruit autem ipse 200. annis circiter ante B. Franciscum. Mirum à loco stigmatizationis, ad eum in quo à Fratre Leone repositus est, (nẽpe cella B. Francisci, quę hodie dicitur, *Capella Crucis*) extant 27. passus; si metiaris à pariete, cui hæret altare stigmatum, ad vltimum vsq; murum ipsius Capellæ Crucis, tunc (vt dictum) tugurioli, seu cellulæ S. Patris. Ecce mirabilis synpathia, analogia, conformitas, & similitudo loci stigmatizationis mirificæ B. Francisci, ad locum Sanctissimę Crucifixionis Christi Domini Saluatoris.

De sanguine quem B. Franciscus effudit. §. 2.

HVmani pretium generis Christi sanguis, estò pretiosus, & inestimabilis, sicut aqua effusus, à terra ebibitus, Doctorum Sententia, necubi fuit; prędixitq; patientię speculum, Iob, ibi. *Terra ne operias sanguinem meum*. cap. 16. Gloss. interlin. *hæc omnia Iob dicit, in persona Christi cuius figura est*. Supra petram cecidit sanguis ille, qui à sacris vulneribus effluebat. Vnde Gregorij Magni

gni lib. 13. Moral. c. 8. aureum est elogium, scilicet non super terram sed super petram, Sanctissimum sanguinem destillasse. Alludit Ezechielis vaticinio, c. 24. vbi ait. *Sanguis enim eius in medio eius est.; super limpidissimam petram effudit illum, non effudit illum super terram, vt posset operiri puluere.* Gloss. ordin. *ne terra*, inquit, *operiretur aut puluere; naturale est vt, si sanguis fusus, sit in terram, ebibat humus humorem sanguinis, aut paulatim terra operiatur, aut puluere. Si autem super planam petram effusus labitur, & latam obtinet sedem.* †Habetur in terris ex ipsomet vero, vitaliq; sanguine Saluatoris. Extat apud Sanctum Maximinum, sanguis verus eiusdem Domini nostri Iesu venerabiliter asseruatus, quem hisce indignissimis oculis intuitus adoraui; hunc Heroina Seraphica Crucis amasia Magdalena collegit in vasculo ad pedem Crucis, dum ipsa indiuidua comite, *stabat Mater dolorosa iuxta Crucem lacrymosa dum pendebat Filius*. Extat Mantuę veri sanguinis eiusce nomini Saluatoris, quem pixide Longinus exceptum, ibi condidit, donec vir quidam probitate conspicuus Diuinitus reuelatum obliuiorum iniurijs vindicauit. †Accipe Danielem Malloniũ de Sindone, c. 21. fol. 287. & c. 1. fol. 11. *In historia clarissimę vrbis Mantuæ legimus, quòd cum temporibus Henrici 2. Imper. terra maximis concussionibus quateretur; anno eiusdem Imperij 3. Sanctus Andreas, Adelberto, Bonifacij Comitis Mantuæ ab eleemosynis pio, probatoq; viro apparens, locum indicauit, vbi pretiosus Christi sanguis, qui è Christi latere effluxerat à B. Longino pixide exceptus conditus fuerat; dicens terram tot motionibus concuti, quia Dominici sanguinis, quo mundus redemptus est, thesaurum diutius occlusum, & ignotum continere non patitur.* Extat nec non in Sindone Taurinensi ex eodem vero sanguine; vero inquam non infimæ notę Scriptorum, imo eximia Pontificis Maximi Xisti, à Iulio 2. relati, auctoritate, & testimonio Sacrosancto. En Iulij verba, in Bulla de Sacra Sindone. *In qua*, inquit, *Sindone, prout idem Xistus*

Prædecessor noster in quodam tractatu, quem composuit de ipso sanguine, affirmat quòd ipsius Iesu Christi verus sanguis & imago conspiciuntur. Subditq; *in qua reliquia humanitatis Christi quam Diuinitas sibi copulauerat, videlicet ipsius veri sanguinis manifeste conspiciuntur.*

Sanguis effusus à B. Francisco, non quidem bibulam super terram, sed super petram cecidit; vt ex historijs patet atq; ex inspectione loci eiusdem, quo stigmatizatio talis effecta est. Respicitur enim locus in longum, inspiciturq; vtrinque genuinum saxum; præsertim plateæ pauimentum (in qua talis ac tanta exercita est palestra) solida petra, innatumq; solum rupeum. Ast vt melius huiusmodi rei certitudinem possis habere, descende Sacellum, quod S. Bonauenturæ nuncupant, nuncupant, ibique videris ingens, latumq; ac longum Saxum, deseruiens quidem capellæ stigmatum pauimentum; capellę verò eidem S. Bonauenturę, tectum: super ipsum verò Saxum quadrum, & quasi dolatum, & leuigatum, vulneratus fuit fortunatissimus vir Frãciscus, & super ipsum sanguis à vulneribus effluens cecidit. Excepere spongia socij cruorem illum, excepereq; alium biennio profluentem personæ deuotæ, eũque vasculis asseruarunt. Ex ipsomet sanguine ille est qui in Castro veteri Regni Neapolis, Romæ, alijsque locis diligentissimè custoditur, & veneratione præcipua, quotannis in festo Sacrorum stigmatum magno populorum concursu, processionaliter circumfertur. Interfui sępius quę ipso cum sanguine in alma Vrbe solet fieri, processioni; in qua Pater Guardianus Aracęlitani conuentus pixidem solemniter gestat: & est sanguis verus S. Francisci: qui à terra minimè bibitus, vti super lapsus petram, assimilis extitit, hacce re, sacratissimo sanguini Iesu Christi, de quo tellus ipsa præceptũ acceperat apud Iob, *terra ne operias sanguinem meum.* Non operuit Christi, nec operuit Francisci sanguinem; custodi-

J

ſtoditus ille; aſſeruatus & iſte: veneratus ille (latriæ quidem cultu :) proceſſionaliter circumfertur veneratus (Duliæ) hic, proceſſionaliter circumfertur. En cõformitas, analogia, & ſimilitudo, creaturæ opifici, Serui Domino, &c.

De ipſo B. Franciſci Sanguine, feſtiuitatis die liquefieri ſueſcente. §. 3.

SAnguis Teſtamenti figuratus, pro nobis effuſus in ara Crucis, effuſum in nos Dei amorem teſtans, efficaciſſimus ad perrumpendum cœlum, atq; aditum in Sancta cœleſtia aperiendum; ſignatus inquam in agni typici ſanguine, ad vtrumq; poſtem, & ſuperliminare domorum aſperſo; adumbratus quidem in funiculo coccineo ad Raab feneſtram ligato; mũdum omnem fuſus expurgans, & cœlum initians; ſeminarium ſacrũ, ex quo Fideles tot pullulant; eorum coagulũ, & Eccleſiæ glutem membrorum: totam eiuſce ſtolam tingens, & purpurans; Martyres, vt Mori liquor elephantes, ad prælium acuens; eximia purpura, dibapha pretioſa, iterum ac ſæpius tincta; melius tandem clamans quàm Abel, per tot ſcilicet, aperta ora, quot vulnera, cuius tot ſunt voces, quot guttæ, relictus in terris æſtuat amoris incendio, feruet ebullit. Miraculum continuatum in oppido Montone, Diœceſis Typhernatis, in Italia, de Chriſti ſanguine venerabilis habetur hiſtoria; quotanniſq; die Paraſceuæ liquefieri, & ebullire firma fide teſtatur. Qui vidit teſtimonium perhibet, Reuerẽdiſſimus Pater Ludouicus à Montone, eiuſdem oppidi, Inquiſitor Generalis Florentiæ nunc verò Conſultor in Sancta ſuprema Romæ inquiſitione, iterum ac ſæpius mihi in verbo Sacerdotis aſſeruit, ſe tanto ſæpius explorator, & cognitor affuiſſe miraculo. Extat hic ſanguis, in cõuentu noſtrorum fratrum Minorum

L 2 Con-

Conuentualium non obstante Mallonij dicto, extare nimirum in Ecclesia Cathedrali, cum re satis vera in eodem Conuentu existat. Accipe verba Mallonii de Sindone, c. 1. fol. 128. *Certè nouimus in agro Typhernate* (vulgò Città di Castello, prope Biturgiam, vulgò Borgo San Sepolcro) *In Ecclesia Cathedrali asseruari vnam, è spinis Coronæ Christi Domini, in cuius cuspide subtilis quidam capillus eiusdem sanguine spinæ agglutinatus adhæret; qui quidem sanguis quolibet anno, in die Parasceues, qua hora Christi capiti Corona fuit imposita, rursus colliquefieri, rubescere, & quodammodo ebullire, purpureumq; colorem recipere cernitur.* apud S. Maximinum in Gallia Narbonensi exiguã pretioso Christi sanguine plenam, Catholica pietas veneratur ampullam, quem ex antiqua traditione, illuc Magdalenę manibus, ad Crucis pedem exceptum, attulisse Patres illius conuentus affirmant. Meminit Syluester Pierius, Ludouicus Granatensis, pluresq; fidei prediti dignitate. Veneratus & ego sum quoq; iterum atque sæpius, Regium pignus flexisque cernuus poplitibus adoraui, Liquescit, & ipso lacrymosæ, ac lamentabilis tragediæ Parasceue, ipsorum Patrum testimonio, qui me, ibi cum essem, certiorem penitus reddidere;

Francisci vulnerum sanguis, necuqi non reperitur, magna cum deuotione seruatus. Barchinone in Conuentu S. Frãc. portio sanguinis asseruatur Regno Neapolis, apud Castrumuetus, vulgò *Castel vecchio*, eiusdem sanguinis inest vasculum; qui anno quolibet, in festo B. Francisci liquefieri solet. Romæ, in sodalitio stigmatum, ex B. Francisci sanguine portio, cum ingentis põpæ solemnitate, Romaniq; populi concursu processionaliter circumfertur. Interfui sæpius celebritati, quæ per 8. dies continuos cum Procerum ingenuitate, Prelatorum atq; Religiosorum frequentia, matutinis, interq; diurnis, ac vespertinis concionibus locupletata, nec non spiritualium donorum amplitudine cumula-

ta,

ta,perseuerat. Consului Venerabilem. P. Bonauenturam Vipereschi Aracęlitani Conuentus Guardianus, qui pixidem sanguinis (vti Guardianus præfatus, ad quem spectat Reliquiam ipsam pręferre in processione) sæpe gestauit, consului Rectorem ipsius Confraternitatis, fidemque præbuere se vidisse in festo sacrorum stigmatum liquefieri sanguinem ipsum. Pater autē ipse Vipereschius probatę vitæ, & fidei vir est.

Ostendit Franciscus alumnis vulnera. §. 4.

PEracta ieiunii solemnitate, festiq; Archangeli solemnitate, Imperatoris Empyrei Labarus factus, Franciscus Seraphicus profecturus, Diuinum illud cęlestium Piroporum reserare gemmarium cogitur. Trepidat tamen arcanum Domini violare, quia, *Sacramentum Regis abscondere bonum est*, Tob. 12. & *qui denudat arcana amici, fidem perdit*, Eccles. 27. Exuit nihilominus præcordia metu, & sacrosanctum, illuminati fratris hortatu, mysterium aperit, suis in vnum collectis alumnis, manus illas, pedesq; illos Redemptionis nostrę monilibus decoratos, non absq; lacrymarum effusione retexit. *Postquam igitur verus Christi amor* (ait Bona. c. 13.) *in eandem imaginem transformauit amantem, quadraginta dierum numero, iuxta quod decreuerat in solitudine consummato; superueniente quoq; solemnitate Archangeli Michaelis, descendit Angelicus vir Franciscus de monte monte secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis, vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei viui.* Notandum, quòd B. Franciscus ostendit, reserauitq; stigmatū suis arcanum, non profectus, sed à Monte discedens: ita apud D. Bonau. cap. 13. contra Marcum Lysbonem in Chron. 1. p. lib. 2. c. 56. vbi ostendisse asserit postquam discessit à Monte. Tunc Alumni, fratres, Leo, Masseus, Angelus, Syluester, & Illuminatus locum stigmatiza-

tionis; (nimirum illum, quo crates fixa est ipso in Ecclesiæ pauimento.) notarunt, erectaq; ibi Cruce signarunt: tradunt Auctores Dialogorum. Discedens igitur, fratres Massæum, & Angelum in Monte relinquit, vt ibi ad diuinas laudes persoluendas insistant.

Crebrescunt miracula Sacr. Stigmatum. §. 5.

BIssenis hęc stigmatum mirificentijs fabrefactio scatet, duodecim nitet referta prodigijs. Primum est manuum, lateris, pedumq; perforatio patula, cum nerueis clauis ab eorundem concauis ad conuexa resultans. Secundum ferrugineus color, quo præditi claui, naturaliter enim, vti eadem ex carne, conflati, eidem carni concolores esse debebant. Tertium clauorum orbicularitas, & in summitate volarũ, pedumq; sub imo, quasi ex repercussione contracta retortio. Quartum vulneratio facta in locis ossosis, neruosis, arduis, & spasmosis absq; læsione, & attractione partium: Quintum durities ferriq; ad instar soliditas ipsa clauorum. Sextũ longitudo ipsorumq; protensio; totam penetrantium molem, vtrinq; se se obiectantium oculis admirandũ. Septimum Difficultas auulsus: licèt enim tractabiles, aquoq; flectebantur propensi nulla tamen vi potes auelli; cum iterum quin; & sępius post eius interitum, Catholica Procerum fidelium pietas id aggressa nequerit. Octauum Recuruatio, atq; retortio. Nonum Illęsio integritatis, & conformitatis membrorum. Decimum separatio circumquaq; à carne clauorum, ita vt petiæ inter ipsos, & carnem ponerentur. Vndecimũ Biennij, cum 20. diebus curriculum absq; sanie. Decimosecundum absq; fętore, imò cum suaui odore permanentia vulnerum. Accedit decimotertium, quòd plagæ cum essent, puro sanguine, non tabe, fluebant: Decimoquartum, quòd nunquam tumefactæ. Decimo-

moquintum, quod lateralis hiatus simillimus erat lateris vulneri Saluatoris Decimosextum, quòd biennio rosea, odorifera, patula, intabida, pulchra. Decimoseptimum, quòd biennio vixerit Saucius; quandoquidē quęlibet earum naturaliter erat plaga lethifera.

Hasce Theologus Conformitatum c. *Franciscus consignatur*. mirificentias tangens ait. *Latus B. Francisci tactu Christi fuit vulneris lateralis prętendit, in manibus, & pedibus claui apparuerunt. Sed isti claui in interiori parte manuum incipiebant in superiori parte, & ad partem inferiorem descendentes, & resultantes recuruabantur. Capita Clauorum in manibus, & pedibus erant nigra, ecce miraculum, quia cum essent ex neruis, vel ex carne, præfatis similia, & non dissimilia esse debebāt. Erant autem longa, rotunda, & repercussa ecce aliud miraculū.*

Miracula stigmatum, Doctor Seraphicus Bonau. in legenda maiori, c. 13. Magister Pisanus in Conform. li. 3. Chronica Ord. 0. 1. l. b. 2. c. 58 referunt; quorum, alijs consultò remissis ad codices, isthęc satis.

Aluernæ finitima tempestatibus conuoluta, quotannis fructuum notabilem, regio incurritiacturam, quò mirificum hocce prodigium in eo patrauit Altissimus. Tunc enim tempestas, & nebula surgere solitæ vanescentes, necubi officere. Quādo cum stigmatibus discessit à monte, asello vectus, conuerso ad Montem vultu iugiter incedebat, cumq; peruenisset ad summitatem illius, qui ex aduerso est, Montis, vulgò, *la Foresta*, meridiem versus, quadrupedis armis exiliens, flumine vultus humectans, supremum vale dixit Sacro Monti. In cuius rei memoriam Sacellum postea conditum est quod hactenus, non absq; pręcipua confinium populorum deuotione, Diuinarumque ibi acceptarum frequentia gratiarum, perseuerat. Facto Vale, iumēti dorso à socijs restitutus, Aluernę prospectū prorsus amittens, descendit planitiem Capresanam, Castrumq; Mōtisacuti accessit, ibiq; apud illustrem, & nobilem Do-

minum Comitem Albertum Barbolani, singulari sibi familiaritate deuotũ, exiles protraxit inducias, ipsumq; quo tunc indutus erat quoq; nuperrimè Altissimi Filij Dei signacula capessiuit; xenium inquam auro nullo pendendum, impertijt, & donauit. Extat donatio hæc apud Marcum Episcopum, in Chron. par. 2. lib. 1. c. 52. Dialogi vetus, & noui, pluresq; testantur historiæ: Inestimabilem hunc thesaurum possederunt omnes Comites Barbolani Montagutenses, vsq; ad annum 1504. quo Florentiam translatus, prius in nostro Monasterio S. Saluatoris ad montem S. Miniati; dehinc ad nostrum quoq; aliud sub eadem S. Saluatoris inuocatione Monachium, vulgò *Ogni Santi*, traductus, hic permanet. Discessit B. Pater à Monte, vt ex Dialogistis elicitur, Septembris die 30.. Ast non illud nobilissimum quidem nec tempus eiusue iniuriæ potes fuere, Barbolanæ familię donum arripere. En ipsum. Audiens Dominus Albertus, ab ore Seraphici Patris Francisci, quòd amplius Montagutum non esset visurus, edoluit; atque dixit: *Pater aliquod apud nos maneat in signum memoriæ tui.* Orauit nocte illa Seraphicus, manèq; ait. *Hæc est gratia tibi, tuæq; concessa familia, vt priusquam, vir aut fæmina fuerit, quis occumbat, flamma ignis super arcem tuam appareat, imminentis interitus nuntia.* Mirumq; est, quòd gratia ista tot seculis perseueret, totiesq; appareat flamma, quoties aliquis de ipsa familia morti vicinus existat, vir scilicet, aut mulier sit, præmonet flamma super tectum apparens, vt fax; Miraculum isthoc tali ac tanto stupore cõtinuum, perseuerat; & ego qui scribo, indubitabilem mihi fidem asciui, quatenus dum in illo sacro loco demorans, de rebus Aluerniæ texerem Chronicon, de hoc portento certior factus, immortalitati consecraui, scriptis consignans. Grauissimi quoq; Viri constantissimo testimonio muniere, Dionysius inquam Pulinari in sua Chronica; Bartholom. Cimarello in Chron.

4 P.

4.p.lib.8.c. 25. August. de Millio in suo Dialogo lib. 1. c.19. Aurelius Sauellis in suo Dialogo.

Habitum igitur Beatissimus Pater Montagutensi Heroi largitus; alio, quem ipse Comes in vrbe S. Sepulchri consui fecit, amictus abscessit, & per ipsam Biturgiensem vrbem in suam dilectam Portiunculę columbariam se recepit: columba vtiq; in purpurea roseaq; cauerna maceriæ nidulata. Laborabat extremũ tũc dierum puerpera Ciuitatis Aretij; mortis faucibus inclusa, humano penitus destituta pręsidio stigmatum Christi, in B. Francisco diuinis radijs effulgentium, gratia, ad auras fętum emisit incolumis. Quippe cum aselli, cui Diuus insederat, capistrum obtingeret, illico peperit, moribũda iam, iam. Cuiusmodi facinus rei, quandam ad Crucifixi Domini clauos analogiam prętendere pulchrè videtur. Testantibus enim Ambrosio in orat. funerali Theodosij; Nicephoro, lib. 8. c. 29. Theodoreto, lib. 1. c. 18. Sozomeno, lib. 2. c. 1. Gregorio Turonẽsi de gloria Martyrum; Paulo Diacono lib. 11. hist. Constantinus Imperator equi frænum Sacratissimo clauorum ferro communijt, accipe Gregorij Turon. verba. *Speciosi autem, omniq; metallo nobiliores Dominicæ Crucis claui, qui beata membra tenuerunt, ab Helena Regina post ipsius sacræ Crucis inuentionem reperti sunt, & de duobus quidem frænum Imperatoris muniuit; quo facilius si aduersæ gẽtes restitissent Principi, hac virtute fugarentur.* Fugabantur planè; virtutemq; Clauorum ipsorum infestæ phalanges ab eius facie vanescebant. Quin etiam Dęmones virtutem, & efficaciam fræni huius sentientes ferre nõ poterant eius tactum. *Magnam ferunt* (ait ipse Gregorius) *virtutem esse huius fræni; quod ambigi nequaquam potest, quod Iustinus Imperator publicè expertus est, ac suisq; omnibus patefecit. Illusus enim à quodam Mago propter pecuniam, emissas sibi à Dæmonis vmbra intolerabiles per diurna curricula noctium sustulit insidias; sed cum in tertia nocte frænum capiti collocasset,*


rasset, locum insidiandi inimicus vltra non habuit: repertumque auctorem insidiarum gladio perculit. Frenum equi Cæsarei demona infestantem propellit; frænum Franciscani iumenti, eundem partus explodit repagulum. Illud ex Christi, hocce ex B. Francisci clauis virtutem nactum est frænum. De illo constitit, & de hoc patet. *Homines verò loci, viso equo* (accommodato quidem à Domino Orlando de Clusio) *cui Vir Sanctus insederat, extraxerunt frænum & vt superponerent mulieri: ad cuius contactum mirificum, omni remoto periculo, mulier illic peperit cum salute.* Seraphicus Bona. in legenda, c. 12.

Alio miraculo similes legimus Christi, Franciscanis clauis. Scribit Greg. Turonensis de Matt c. 6. hac serie. *Eo tempore Adriaticum mare magnis fluctibus mouebatur, in quo cum frequentia essent naufragia, & demersio hominum, vt vorago nauigantium diceretur; prouida Regina condolens excidia miserorum, vnum ex quatuor Clauis deponi iubet in pelagus, confisa de Domini misericordia, quòd sæuas fluctuum commotiones facilè posset opprimere. Quo facto redditur mare quietum, tranquillaq; deinceps nauigantibus flabra præstantur. Vsq; hodie nautæ Sanctificatum mare venerantur, & cum ingressi fuerint, ieiunijs, orationibus, & psalterio vacant* ingens miraculum Dominici claui in aquis factitant, ingenita Franciscani in aquis etiam prodigia facesserunt. Audito te Bonauenturam Seraphicum, in legenda cap. 13. *Sicque factum est, vt per virtutem mirandam aquæ illius, quæ sacras plagas contigerat, omnis prorsus plaga cessaret, pestilensq; morbus à gregibus fugaretur.* Aqua scilicet, quam sacris stigmatibus cõtingebat, salutifera erat, morbosque pellebat, & Dæmones. Quis, nisi dæmon Adriatico pelago nautas extinguebat? Remittamus historijs omnia stigmatum acta magnalia, plurima siquidem sunt, & singularem in modum mira; idq; dumtaxat de ipsis obiter afferamus, quod in *Speculo* Centuria 2. c. 8. describitur. Iure optimo canit Ecclesia. *Dulce lignum, dulces clauos,*


nos dulce pondus; mare ſiquidem aduerſitatis omnigenę, ligni eiuſce, clauorumq; dulcedine mellita ſiunt. Analogicam ſuauitatem Franciſcana vulnera cordibus inſtillaſſe quis dubitat? Accipe Lector Speculi. *Ali quando manus illas tam venerandas Stigmatibus, ante cor fratris Leonis, Sanctus ſtudioſius opponebat: ex qua appoſitione tantam deuotionem Frater Leo ſentiebat in corde, quòd quaſi expirabat frequentibus ſingultibus, in ſtuporem ſalubrem immutatus: ad laudem Domini Noſtri.* Miraculum inclytum eſt tot Minorum millia ſine redditibus, abſq; prædijs, abſque proprio ſuſtentatio. Idq; re ſatis vera Franciſci ſtigmata continuè factitant: nec iam ſolum Deum eſſe miraculorum Auctorem neſcimus, eumque mirabilem in Sanctis ſuis inficiari penitus execramur: hinc & verum Sanctorum meritis Dei magnalia perpetrari. Perpetrāt ſtigmata, prolongata, & continuata miracula; 2000. nimirum Religioſos diuturnis alimonijs abundare.



Oppe-



Oppetente Francisco, stigmata magis clarescunt, Pontificiis testimonijs roborantur, diplomatibus locupletantur.
Liber 6.



Franciscus biennio Sacris stigmatibus viuit, patentq; multis. Cap. 1.

FIdelis Seruus Dei Franciscus cum vniuersali stupore Fidelium, Angelorum exultatione; prauorumq; mæstitia Geniorum portentum illud luminareq; inclytum, quo totam Ecclesiam illustrabat, Triūphatoris Mortis pompale trophęum, latere, manibus, pedibusq; gerebat, erumpentibus à quinq; lucis illis scatebris magnalium radijs, ad illuminationem Ecclesiæ, fidei munimentum, Hæreticorumq; & Paganorū confusionem. His radiatus fulgoribus, ijsq; ornatus monilibus, biennium diesq; bisdenos, expleuit. Quorū excursu mirabilium opifex Deus multis cōperta Mortalibus esse disposuit: illis, inquam pręordinatis ab ipso. Neq; enim Filij sui lucifluas cicatrices, indifferenter videri permisit, nisi solis illis, quos ad mysteria gerenda selegit. Peruenit Franciscus Portiuuculę domum, ibique spiracula Sacrosancta aromaticos fumos, flammasq; Seraphicas exhalare cœperunt. Hunc insculpsit cordi locum, hunc dilexit; hunc & suę in Seraphinissimū Religionis asciuit: quem iure merito cunctis alijs Ordinis pręhabuit locis. Accipe carmina, quę ipsemet Pater in laudem Portiunculæ condidit: prout extant in Antiquitatibus Franciscanus, Cent 1. cap. 93. vbi sequentium ipse Auctor, versuum assignatur.

Car

Carmina à B. Francisco edita, in laudem Portiunculæ.

SAnctus Sanctorum verè locus iste Sacrorum, dignè Magnorum noscetur dignus bonorum, felix agnomen, felicius est sibi nomen, & modo cognomen sortitur Numinis omen; Angelicum Numen, hic tunc infundere lumen, hic pernoctare solet hymnos voce sonare, postquam tota ruit Franciscus eam reparauit, ex tribus vna fuit, quas ipse Pater reuelauit; hanc Pater elegit cum sacco membra subegit hoc intra templum genitus fuit ordo Minorum dum Patris exemplum sectatur turba Virorum; Clara Dei Sponsa fuit hic tonsa pompis exuta mundi Christumq; sequuta, sic partum clarum Fratrum simul, & Dominarum; sacra Parens fudit, Christum quibus orbe refudit, Hic fuit arctata veteris mundi via lata, & dilatata virtus in gente vocata, Regula conflata, paupertas Sancta renata, gloria prostrata, Crux in mũdo releuata, sic vbi Franciscus turbatur, & accidiatur; hic tranquillatur, illic sua mens renouatur hic demonstratur verum; de quo dubitatur, imò donatur quidquid Pater ipse precatur.

Nil obest vocare se Patrem, personæ tertię functus eloquio. Hanc igitur Beatissimam Virginis inclytę colens Regiam, Franciscus, in Ecclesiæ pelago triton Luciferi, cęlestis fati munus implebat, iniunctiq; diuinitus ministerij fastigia pertingebat; cum ab Illustrissimo Ordinis Protectore Domino Vgolino Cardinali Ostiensi literæ peruenerunt, vt Romam quàm citius se conferret: (extat in Archiuio Senarum, epistola, qua B. Franciscus respondit Vgolino de qua sermo in nostro Theatro Seraphico, Orchestra 3. specta. 4. fol. 216.) Redolente vere, Christi Signifer obedientiæ Seruantissimus Vexillum, quod suis vulnigeris manibus præferebat, Romanis arcibus intulit: anno inquam felicitatis, humanę, 1225. Tunc & ipse Cardinalis Vgolinus, Protector qui fuit Summus Pontifex, Gregorius IX. nuncupatus; tumq; Pontifex Honorius, cum alijs Cardinalibus, inter quos Raynaldus, qui postea fui Alexã-

der

der IV. Francisci vulnera comprobarũt. Vnde in Bulla quę incipit *Benigna opera*, Alexander ipse Quartus testãs se vidisse ait: *Sanè de prefato Sancto hæc certiùs asserentes, indoctas fabulas, seu vanæ inuentionis deliramenta non sequimur: cum ea nobis dudum nota fecerit plenior fides rerum, quando videlicet in minoribus constituti: Confessoris eiusdem familiarem ex munere diuino meruimus habere notitiam* Doctor Seraphicus in legenda maiori; c. 13. Alexandri testimonium referens *Summus etiam*, inquit, *Pontifex Alexander, cum populo prędicaret, coram multis Fratribus, & me ipso, affirmauit, se dum Sanctus viueret, stigmata illa Sacra suis oculis conspexisse* Videre insuper multoties Frater Leo, attestante Pisano in Conformitatibus lib. 3. fruct. 31. Henrico Sedulio, in Comment. Fabiano, & Hugelino socijs B. Francisci, in Speculo sępius; & in Chron. par. 1. Frater Rufinus non modò vidit verùm, & tetigit, ex Conform. li. 3. Chron. par. 1. Speculo cent. 2. c. 31. Frater Elias, tunc Vicarius Generalis, teste Bonau. c. 13. aliusq; ex B. Francisci socijs: eodem Bonau. teste; Vidit B. Clara cum suis sororibus ex ipso Doctore c. 13. *Virgoq; Deo deuotissima Clara, cum cæteris sororibus suis, & sæculares innumeri, ex quibus quã plurimi, & osculati sunt* (in obitu scilicet) *ex deuotionis affectu, & contrectauerunt manibus, ad testimonij firmitatem.* Idipsum Chron. & Conformitates affirmant.

Clauigera patula, carnemq; penetrantia, sanguinolentaque ferens vulnera. §. 1.

Clauigera.

CLauis, Diuinitus fabrefactis, infixas, manus pedesq; vnà cum Apostolica sede, Doctores amplissimi, scriptoresq; grauissimi plusquam 300. consentiũt. Doctor Seraphicus, rerum omnium, in Franciscanæ personę, vitęq; mysterijs enodandis, egregius antesignanus vindex maximus, c. 13. *Manum enim, & pedes in ipso medio clauis confixa videbantur; clauorum capitibus in interiori*

parte

parte manuum: & superiori pedum apparentibus: & eorum acuminibus existentibus ex aduerso. Fratres Fabianus, & Hugelinus Beato Francisco coæui, vt extat in Speculo, cent. 2. c. 9. *In illa* inquiunt, *quadragesima supradicta, apparuit ei in Monte Aluernæ Christus in specie Seraph, alatus, veluti Crucifixus Sancto Francisco tam clauos, quàm stigmata in manibus pedibus, & latere.* B. Vincentius serm. B. Fran. B. Antoninus, Iacobus Voragineus, B. Bernardinus Senensis, Fioretti Auctor c. 138. & 142. Vbertinus, in arbore, lib. 5. c. 3. Tres socij B. Fran. Chron. Ordinis; historia Seraphica. Missale Romanum antiquum in sequentia: Breuiarium in officio Minorum. Bosius de signis Ecclesię, tom. 2. lib. 15. c. 3. Iacobus Garibbi, Basilius Sanctoro in vita B. Franc. Henricus Sedulius in Comment. Alexāder 4. in Bulla, *quia longum esset nedum exarare per singula.* Iterum tandem Seraphicus Doctor Bonau. c. 13. *manus enim*, aiens, *& pedes in ipso medio clauis confixæ, &c. Erantq; clauorum capita in manibus, & pedibus rotunda, & nigra: ipsa verò acumina oblonga, retorta, & quasi repercussa, quę de ipsa carne surgentia carnem reliquam excedebant.* Et c. 15. *cum igitur in candidissima carne claui nigrescerent.* Inferiusq; subdit *cernebantur quidem in membris illis felicibus claui ex eius carne, virtute diuina mirificè fabrefacti: sicque carni eidem innati, quod dum à parte qualibet premerentur, protinus quasi nerui cōtinui, & duri ad partem oppositam resultabant.* Idipsum Conformit lib. 3. fruct. 3. Alexander demum in præcitata decretali Dat. Ananię, Pont. an. 5. *in manibus eius, & pedibus expressa vndiq; similitudo clauorum de subiecto propriæ carnis excreuit, vel de materia nouæ creationis accreuit.* En Francisci vulnera infixis hiantia clauis.

Patula.

QVamquam vsitato loquendi more, quæ Dominus Iesus Francisci membris impressit, stigmata nun-

nuncupentur; plusquam tamen stigmata sunt, nempè vulnera, realia, vera, penetrantiaq; carnem; stigma enim ictus vestigium, percussionisque signum est, non quidem, propriè fando, vulnus. Enimverò Patriarcha Seraphicus, non signa sed ictus habuit: signa planè Christi vulnerum referentia, vulnera autem vera, & carnis foramina, Sedis Apostolicæ 30. Bullis asserta, testimonijsq; solemnibus celebrata. Doctor Seraphicus in legenda, in officio stigmatum, & in sermone de B. Frãcisco, reales, veras & patulas plagas constantissimè profitetur: quin, & c. 15. ter asserit, quin & c. 16. sexies; tandemq; in opũsculo *de sex alis Seraphim*, & in *Apologia pauperum*: B. Vincentius in serm. B. Antoninus in histor. Ludouicus Granatensis, tom. 5. de Sanctis: Fõseca in 4. p. Vita Christi, lib 1. Ossuna in Sanctuario sem. 42. Zamora in Monarchia, p. 7. tom. 2. lib 6. Iacobus Voragineus in serm. Osorius tom. 3. Villegas in Flos Sanct. Ribadeneyra in vita B. Franc. B. Bernardinus Senensis de Euang. æterno, tom. 2 & tom 4. Papa Nicolaus 3. in Bulla *grande, ac singulare miraculum*, & in illa decretalibus inserta 6. c. *de verborum significatione*. Sixtus IV. Sixtus V. Gregorius IX. Cardinalis Raynerius Viterbiensis in hymno. *Crucis Christi mons Aluernæ*. Neapoleo Cardinalis in illis literis, *almus Christi Confessor*: Ioannes Cardinalis in exordio ad Bullam Martinianam: Stephanus Cardinalis: Præfatio Missæ B. Francisci: Philippus Protector; Aldobrandinus Episcopus Aretinus: Guillelmus Episcopus Aretinus: Raphael Volterannus: Ioannes de Muro Episcopus Portuensis; Historia Pontificalis, Conformitates, Fioretti, Chronicę, ac monumenta ordinis, alijq; 228. grauissimi Auctores, veras, reales exteriores, & visibiles plagas affirmant adstipulatur. Ecclesia in officio stigmatum, pro toto orbe concesso, clarissimè, & expressissimè adstruens patentia vulnera.

Car-

Carnem penetrantia.

PErfoſſa vtrinq; foramina, tranſfigentia carnemque penetrantia vulnera Crucifixus inſculpſit ſeruo ſuo Franciſco. *Sicut vulnera Chriſti ita corporaliter habuit B. Franciſcus.* Doctor Seraphicus ſerm. de tranſlatione ipſius. Auctor Floreti, c. 138. Magiſter Cõformitatum, ſæpe, ſæpius, atq; ſępiſſimè, præſertim lib. 3. *Inſuper claui erant à carne diuiſi, inter ipſos enim, & carnem erat apertura.* B. Vincentius in ſerm. B. Fran. Alexander 4. in Decretali. *Quia longum.* Præfatus Bonau. c. 13. Miſſale Romanum antiquum Lugduni impreſſum, in ſequẽtia Miſſę B. Franc. *Patent ſtatim miri claui; nigri foris intus flaui: pungit dolor pœna graui, cruciant aculei: ceſſat artis armatura, in membrorum apertura, non impreſſit hos natura; non tortura mallei.* Boſius de ſignis Eccleſiæ, tom. 2. lib. 15. c. 3. Speculum S. Franciſci, centuria 2. c. 31. Henricus Sedulius in Comment. *Non ſigna nec cicatrices ſed patula vulnera, & perfoſſa.* Hiſtoria Seraphicà in antiloquio. *Quem ſacris clauis, arte diuina fabrefactis. in medijs vulneribus pedum manuumq; fixis.* Eccleſia Sancta in officio ſtigm. & Tranſlat. B. Franciſci. Chronica Ordinis par. 1. Pontificia plura diplomata, Eccleſiæ Proceres, & pluſquam 180. auctoritatis eximię viri teſtantur. Vide noſtrum Theatrum Seraphicum, fol. 180. 181. 182. 183. 184. Ibi Doctorum reperies agmina.

Sanguinolenta.

COmmunis eſt omnium Doctorum conſenſus cruenta fuiſſe Franciſci vulnera, & biennio ſanguine profluxiſſe. Seraphicus Doctor, ſemel, iterum, atq; ſępius huiuſce veritatis aſſerto, mellifluo comendat elogio. Miſſale Romanum toties adductum, *Sacrum corpus conſignatur, cruentatum ſanguine.* Breuiarium Roma

num in officio Minorum, Magister Theologus Conformitatum, lib. 3. fruct. 3. *Vt petia inter ipsos, & carnem ad reprimendam continuam sanguinis effusionem ponerentur, &c.* Rupertus de Lecio, serm. de stigm. c. 2. *Ex quibus continuò fluebat sanguis, cum dolore vehementi, non solùm corporis, sed & cordis, &c.* Papa Alexander 4. in Decretali quia longum esset, &c. loquens de vulneribus, & presertim de laterali, ait: *latere non potuit per defluxum humoris.* D. Bernardinus Senensis, serm. 6. att. 2. c. 3. tom. 2. *Sepe sanguinem sacrum effundens tunicam, & femoralia in tanta copia respergebat. Henricus Sedulius in comment. perpetuò manantia sanguine, corporis patentes aperturas.* Manet hæc veritas, Chronicorum testimonio communita; Trium sociorum B. Franc. & plurimorum veterum, & recẽtiorum vltra 300. Virorum dignitatis amplissimæ, vt videre licet in Theatro, à folio 156. ad 185.

Clarificantur vulnera B. Francisci occubitu. §. 2.

Beato Francisco migrante (ex officio Translationis, mẽses Maij 15.) *à sæculo, spiritus ille Sacer Domum æternitatis ingrediens, fontisq; vitæ haustu plenario gloriosus effectus, expressa quædam in corpore futuræ gloriæ signa reliquit: vt caro illa Sanctissima quæ crucifixa cum vitijs, in nouam iam creaturam transierat, & passionis Christi effigiem priuilegij singulari tate præferret, & nouitate miraculi, resurrectionis speciem monstraret. Cernebantur quidem in membris eius felicibus claui, ex eius carne, virtute diuina mirifice fabrefacti, sicq; carni eidem innati, quòd dum à parte qualibet premerentur, protinus quasi nerui contigui, & duri ad partem oppositam resultabant. Inuenta quoq; fuit patentiùs in ipsius corpore, non inflicta humanitas, neq, facta, plaga vulneris lateralis, instar vulnerati lateris Saluatoris Erat autem similitudo clauorum nigra quasi ferrum: vulnus autem lateris rubrum, & ad orbicularitatem quandam, carnis contractione redactum, rosa pulcherrima videbatur. Cum igitur*

igitur in candidissima carne claui nigrescerent, plaga verò lateris, vt vernans roseus flos ruberet, mirandum nonest, si tam formosa, & miraculosa varietas iucunditatem, & admirationem contuentibus ingerebat. Lacrymabantur pro filij pro subtractione tam amabilis patris, sed & non medica perfundebantur lætitia, dum deosculabantur in eo signacula Summi Regis.

Hæc eadem versans Doctor Seraphicus in vita B. Fran. c. 13. *Viderunt*, inquit, *in morte plusquam 50. fratres, Virgoq; Deo deuotissima Clara cum cæteris sororibus suis, & sęculares innumeri.* Magist. Theolog. Confor. li. 3. *Stigmata, & corpus B. Francisci iuxta prophetiam eiusdem, Beata Clara vidit cum suis sororibus, quę tunc in Sancto Damiano morabantur. Et hoc dum corpus B Francisci de Sancta Maria de Angelis portaretur Assisium ad sepeliendum; diuino nutu fratres, dictā viam tenentes, corpus B. Francisci, Margaritis Stigmatum Christi consignatum, Beatæ Claræ & sororibus, Crate remota ad tangendum, & osculandum tradiderunt. Et tunc Beata Clara conata est remouere vnum clauum de manibus, sed nullo modo potuit.* Celebratum est deniq; publicum instrumentum, viaq; iuridica processum, examinatis, iuratisq; testibus, ad magni stabiliendam, & roborandam rei veritatem Innuit Doctor Seraphicus, c. 15. Legendę ijs verbis. *Miraculi nouitas planctus vertebat in iubilum, & intellectus rapiebat indaginem in stuporem. Erat quippe tam insolitum, tamq; insigne spectaculum contuentibus omnibus, & firmamentum fidei, & incitamentum amoris: audientibus verò admirationis materia, & excitatio desiderij ad videndum. Audito siquidem transitu Patris, & fama diffusa miraculi, accelerans populus confluebat ad locum, vt cerneret oculis, quod à ratione dubium omne repelleret, et affectionis gaudium cumularet. Admissi sunt igitur Assisinates ciues quamplurimi ad Stigmata illa Sacra contemplanda oculis, et labijs osculanda: vnus autem ex eis, miles quidem literatus, et prudens, Hieronymus nomine vir vtiq; famosus, et celeber, cum de huiusmodi sacris signis dubitasset, essetq; incredulus quasi Thomas, feruentius, et audacius coram*

Fratribus, et alijs ciuibus monebat clauos. Sanctiq; manus, et pedes, et latus manibus proprijs contrectabat: et dum vulnera Christi ueracia illa signa palpando contingeret, de suo, et omnium cordibus omne dubietatis uulnus amputaret. Propter quod (ecce solemnitas publicę stigmatum recognitionis, & reuisionis) *et ipse, inter alios, huius ueritatis tam certitudinaliter agnitæ testis, constans postmodom effectus est, et tactis sacrosanctis iuramento firmauit.* Idipsum habes in officio stigmatum verbis illis: *rem adeò mirabilem, ac tantopere testatam, atq; in Pontificij diplomatibus præcipuis laudibus, et fauoribus exaltatam etc* Gregorius IX quot quibus, & qualibus? Consule Monimenta ordinis, Chronicam, Conformitates, & Bullarium 30. Bullas Apostolicas inuenies in fauorem stigmatum. Cardinalium literas, hymnos, encomia, laudes in Archiuio montis Aluernæ, in Conformitatibus, Monimento trium Ord. Chronicis, & alibi, egregias, inclytas exploraui. Videas nostrum Theatrū, fol 177. 178. 179. 180 &c.

Franciscus in sepulchro ferens vulnera. §. 3.

PRędixerat Euangelicus Vates, Iesu gloriam Mausolei, *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Isai 11. Non hāc eiusce sepulchri gloriositatem nescimus, Senatorum pompa, matronarum obsequijs, Angelorum exequijs, odorumq; fragrantia decoratam: alia tamen Sacratissimum Domini monumentum gloria fulsit; Clauorum inquam dignitate; Siquidem Claui Sacri, teste Baronio, tom. 1. Ann. 34. num. 136. Christiano Adricomio in descriptione Hierusalem, num 242. Socrate lib. 1. c. 13. alijsq; multis, intus in ipso Sepulchro inuenti sunt: nec ab alio quàm à Regina Helena, ex eodem Baronio tom. 3. Ann. 326.


Francisci Sepulchrum Gloriosum quidem multifariam multisq; modis euasit. Pretiosi depositi maiesta-

te

te,structurę mole, deponentium celebritate, loci mysterio, honorificentia donariorum, quin & prodigiorum cataclysmo singularem in modum, rutilans; magnificum; conspicuum, elegans; cumulatum, inundās. Regijs tamen illis monilibus insignitę manus, latus & pedes, gloriosum astrigerum venustum, decorum, pulchrum, nobile, præcipuè reddunt. Videres ibi tot sæculis exanime corpus; integrum, illæsum, corruptionis triumphans, tractabile, rectum, pedibusq; viuentis more, consistens; quinq; illis Pyropis irradians; Videres id ipsum in cęlum fixis obtuitum oculis? Ecquid vltra? *Sepulchrum eius gloriosum*. Non huiusmodi gloriam tumuli Ioachim Regis Iudæ stigmata meruere; inuenta est enim caro eius idolorum notis inusta, Diaboli stigmatibus insignita: ita Hebręi eruditi; quibus cum Auctor historię Scholasticæ, & Nicolaus Lyranus in 2. Paral cap. 36. *stigmata* inquit, *et figuras idolorum sibi fecit Ioachim*. Huiusmodi sensus adscribitur, eorundem libri, & capitis, verbis. *Reliqua sermonum Ioachim, et abominationes eius, quas operatus est, et quæ inuenta sunt in eo*. Hoc est idolica stigmata. Quem demum ea tumulum merita? iumentorum *sepultura asini sepelietur, putrefactus, et proiectus extra portas Ierusalem*, Ierem. 22 Ita de ijs, qui vitiorum stigmatibus effœdantur: extra portas paradisi proiecti, & putrefacti seppelientur.

Corpus B. Francisci proculdubio est apud Assisium in Ecclesia sub eius inuocatione constructa; super collem, nuncupatum antiquitus *colle inferni*; postea verò, *colle paradisi*. Hic Gentilitatis superstitionum temporibus, turris erat, penes quam auguria capessere veteres, moreq; ethnico vaticinia siue oracula Dæmones reddere soliti.

Nicolaus V. vidit corpus B. Francisci. Sixtus IV. Cardinalis Egidius de Albernez Legatus à latere, & Capitaneus Generalis S. Rom. Eccles. Cardinalis tandem



Auſtorgius titulo S. Euſebij, Archiepiſcopus Beneuentanus: Auctorum grauiſſimorum teſtimonio, corpus vidipſum intuiti, memoriam poſteris reliquerunt. Videas Henricum Sedulium, Rodulphum Ribadeneyra, Chronicon Ordinis, &c. De Illuſtriſs. Cardinali Egidio in Chron. par. 2. lib. 9. c. 13. ſic habes. *Cum eſſet Aſſiſij Cardinalis iſte, poſtquam recuperauit Eccleſiæ patrimonium, liberauitq; ipſum à manibus Tyrannorum multorum qui ſibi uſurpauerant, deſiderans ualde, uidere corpus P. S. Franciſci cui erat deuotiſſimus, ita ſe geſſit, quod introductus fuit ſacro loco, ubi repoſitus eſt ille pretioſiſſimus theſaurus, reuerendo eum, cum magna ueneratione: et reſpiciens ſacrata uulnera Ieſu Chriſti in illo corpore Sanctiſſimo, dixit in alta uoce. Verè B. Franciſcus ſolus, quando alia deeſſet probatio, ſufficit ad confirmandam ueritatem Catholicæ fidei. Et facere iuſſit in eodem Conuentu ſacellum exiguum, ibiq; ſepulchrum corpori ſuo, quando dictus Cardinalis defunctus eſſet.* Hæc Chron.

De Sixto IV. eadem Chronica, par. 3. lib. 5 cap. 56. hunc in modum loquitur. *Sequenti anno Aſſiſium petijt Pontifex, ad uiſitandum corpus glorioſi P. S. Franciſci, rem ſic ab eo diutius exoptatam. Præparatum igitur fuit totum à Miniſtro Generali tūc ibi reperto, et aſſignata nox una, tali hora. Cardinalis Archiepiſcopus Mediolanēſis, multùm familiaris, et gratus Papæ; Andreas de Nurſia Capitaneus excubiarius ſanctitatis ſuæ, Miniſter Generalis, Cuſtos Ordinis, et ſacriſta Conuentus, ſingulas præferentes faces introierunt cum ſua Beatitudine, locum, quo ſanctiſsimum corpus ineſt. Flexis genibus attentè cōtemplantes almum corpus à lacrymis, et ſingultibus ſe non poterant continere, propter commotionem, quam interius ſentiebant, tam pretioſum uidentes theſaurum. Ceſſantibus lacrymis Pontifex cum magno timore, et reuerentia oſculatus eſt ſacras plagas manuum lateris atq; pedum B. Franciſci. Poſtmodùm aliquos incidens capillos ſuæ coronæ, tanquam reliquiam ſibi caram ſeruauit apud ſe, et eum iſthoc reuerſus eſt conſolatiſſimus. Dictus Andreas de Nurſia ex quo uidit ſacrum illud corpus, remanſit cum*

tanta

tanta deuotione erga Ordinem, quòd quoties ex Franciscanis Religiosis ipse uidebat, lacrymę ab eius oculis abundabant. Summus uerò Pontifex, magno feruore motus, cogitauit aperiri facere Capellam Sancti, ad mundo tam mirabilem Reliquiam commonstrandam, credens hoc modo augere fidem, et deuotionem in animabus Christianorum. Communicata re hac à Sua Beatitudine Viro Dei B. Iacobo de Marchia, cuius Sanctitas nota erat illi, vt orationis medio sciret an voluntas Dei esset, postquam venerandas Pater fecit orationem, dixit Suę Beatitudini, quòd voluntas diuina erat, quòd illud Sacrum corpus lateret, vt alio tempore Christianitas eodem vti posset, manifestans ipsum propter maiorem necessitatem. Hactenus Chronica.

Extat in Chronicis, par. 1. lib. 2. Illustrissima narratiua de ipso corpore, in hunc modum. *Ego Iacobus Abbas; desiderans scire quomodo, & vbi corpus B. Francisci Sepultum esset, percontatus sum Dominum meum Cardinalem, qui (vt audieram) cum Papa Nicolao Assisium ierat ad ipsum corpus visendum. Et quamuis dictus Dominus Cardinalis ægritudine grauaretur quando ab eo tale quæsiui; nihilominus tam Sancto desiderio vinctus, cum bona & decenti occasione, rogaui eum, vt gratum mihi faceret, in referendo quantum de ipsa re sciebat. Et ipse respiciendo me fixe, & suspirando ait. Mi Iacobe, tu scis quãtum te amo, & quantum cupio tibi complacere: vnde non possum, nec debeo facere quin te in hac tua petitione consoler. Certò autẽ scito, quòd si hoc ab alia persona mihi hoc esset requisitum, non ei dicerem, & sicut tibi dixi, coactus qua te prosequor beneuolentia, tibi referam breuiter, & syncere, id quod ego vidi.*

Scias ergo quòd habens Nicolaus Papa maximum desiderium videndi beatissimum corpus illius Sancti; statuit ire consultò Assisium pro tali causa, & ego eram cum sua Sanctitate. Perueniens autem in vrbem Assisij, misit statim Dominum Petrum Nocetti Secretarium, vt diceret Guardiano fratrum Minorum, vbi Sãctissimum Corpus Sepultum est; quòd sua Sanctitas dedita opera, venerat cum tali intentione: vnde eum rogabat, & præcipiebat ex parte ipsius, vt præpararet id quod expediens erat: ut posset

Sua Sanctitas exequi suum Sanctum velle. Facta ab ipso Secretario legatione, Guardianus audita. Sic noua petitione, exterritus improuiso mandato, sciensq; quòd à nullo alio Papa tale vnquam fuerat intentatum, cępit metuere, quòd sua Sanctitas uellet priuare Sanctam illam domum thesauro sic pretioso, eumq; transferre Romam, uel in aliam partem: & ideo ibat prolongando responsum, & ita processit, quòd sua sanctitas à Secretario cognouit quali angustia Frater ille affectus erat: ad quem remisit statim certificandum: quòd sua intentio talis non erat; & quòd exueret talem metum. Factus itaq; Guardianus certus de hoc gratiam à sua Sanctitate postulauit, ut ipsa sola iret, associata tribus sibi carioribus. Papa complacuit, & uocauit me, quemdam Episcopum Gallum, & Dominum Petrum Secretarium. Hora tertia noctis instante Guardianus adÿt suam Sanctitatem, significans ei, quòd paratum esset totum: & sic Papa, & nos tres iuimus cum maximo secreto, & accedentes prope locum, inuenimus grossissimum murum cum tanta fractura quanta sufficiebat ad commode intrādum; & permeauimus forniceum aditum, terram subter, ubi erat in capite porticus ornata marmoribus cādidissimis, & ex aduerso sub arcubus erāt tres æneę portæ opere cęlatorio satis pulchrę: in quibus erant seræ tres cum clauium diuersitate, cum uectibus, transuersis tribus fortissimis ferreis catenis: quibus amotis, patefactisq; portis, erupit inde tam suauis, & pretiosus odor, quòd non poteramus ferre fragrantiam eius.

Tunc Guardianus flexis genibus, oblato suę Sanctitati, cereo accenso dixit quòd ipsa poterat ingredi: atq; ita intrauit sola, & cum ibi aliquantulum demorata esset, audiuimus eam singultire, & lacrymari; ita ut ueriti ne aliquid sibi contigisset, deliberauimus introire ad adiuuandum; eamq, inuenimus prostratam solo, lacrymantem, & suspirantem, sicut audieramus foris & adiuuimus illam erigi in pedibus. Postea cæpimus circumspicere totum illum Sanctissimum locum, qui erat factus instar testudinis cum diuersis mansiunculis ex marmore candido, & resplendenti. In medio fornicis erat una porta, facta in similitudinem cordis, alta vsq; ad cingulum, & in illa mansiuncula stabat corpus Sancti.

Res

Res quidem grandissimi stuporis, & admirationis, vt corpus humanum, vita functum tot annis, existat modo quo illud existit in pedibus, rectum ac si esset viuum, sine arte humana, & sine aliquo sustentaculo. Habet oculos apertos, eleuatos cœlum versus; corpus eius est incorruptum, caro candida, & colorata, quasi viua. Habet manus coopertas, manichis, vnam intra alteram, applicitas pectori, more fratrum Minorum. Postquam sua Sanctitas contemplata fuit pretiosissimum thesaurum, posuit se cum genibus in terra, & cum magna reuerentia, & deuotione, eleuauit aliquantulum habitum à pedibus Sancti, & vidit, & nos pariter, quod in illo sacro pede erat plaga cum clauo, & sanguine ita recente, ac si tunc fuisset facta ferro, in corpore viuo. Quo quidem à nobis perspecto, talis fuit stupor, tantaq; in cordibus nostris cōmotio, quòd valde perflentes lacrymis madefecimus pauimētum; videntes in illo Sanctissimo corpore sacratissimas plagas, quas noster Magister, Dominus, ac Redemptor pro nobis pertulit super lignum Sanctæ Crucis. Neq; potuimus cernere alterum pedem; quia subter habebat calcatum habitum, unde totus coopertus erat. Sua Sanctitas detexit illi manus, & uidimus plagas factas ad similitudinem uulneris pedis: quas plagas reuerenter, & cum intima deuotione osculati sumus. Et Pontifex respexit pectus lateris dextri, & uidens tunicam apertam, uidit etiam Sanctissimum lateris uulnus, cui adaptans os, deosculatus est ipsum: sensitq; in illo actu tantam deuotionem, & Sanctitatem, ut propter id quod foris ostendit: inter ūs consolatissimus permanserit. Nos postmodum hinc inde respeximus, & in una est Sepulchrum quoddam metallo contectum, ubi erant aliqui ex socijs B. Francisci, quorum corpora integra sunt, & suauissimum odorem emittunt, non ad paritatem eorum Sanctissimi Patris. Peractis ijs, cum esset iam propè diluculum, exhibita iterum à sua Sanctitate, & à nobis, reuerentia Sāctissimis illis reliquijs, recessimus relinquētes ibi Guardianum & socios suos, ut clauderent locum, sicut erat prius. Hoc est, Iacobe mi frater, quod uidi: vnde debemus laudare, & magnificare Deum, qui coronat tanto honore, & gloria in cælo, & in terra etiam, Sanctos suos.

Te-

Testimonium autem Illustriss. Cardinalis Austorgij accipito. *Erat enim in pedis Sancti medio foramen, et in sanguine recenti, ac si tunc mucrone pes fuisset confossus: cuius quidem rei aspectu, singultus magnus omnes arripuit. Et quis cogitare possit animi motionem? Animam præ deuotione liquescere, alienari sensum, & vires totas destitui. Omnes autem ante recessum è loco osculum dedimus Sancto pedi: omnesq. pariter odore refocillati sumus. Pes verò alius fimbria habitus operiebatur: nec nobis uisum fuit illum uiolenter arripere. Manus similiter perforatæ, ut pedes, cernebantur, recentem sanguinem ostendentes.* Austorgius hic cum Legato illo Cardinali Egidio vidit corpus ipsum. Vnde liquet, visum ter fuisse: à Nicolao V. Sixto IV. & ipso Legato. En Franciscus ferens vulnera.



Orna-

Ornatur Aluerna structuris augetur, & cultus. Lib. 8.



Franciscus prorsus innixus.
Super mundi fœdera.

Consecratur Ecclesia S. Mariæ Angelorum, benediciturq; Mons. Cap. 1.


RECONCILIATIONIS humanæ vti signifer, ab incunabulis iure suopte mysteria versans, symbolum à fascia prętulit, facinus à libertatis exordio aggressus est. Idq; Angelico pollice sigillatus dexter humerus adumbrabat, idipsum Crucis in eo prodigiosa, visa spectacula, idq; ipsum ostenta mirifica portēdebant. Hinc iugiter mundi fęderi totus incubuit, hinc & inito populis fœdere Sacrosancto sæculum aureum ab interitu vindicauit. Ast is ea non modò hasce mortales verū, & illas quoq; Deificas pascens auras prosequutus agnoscitur. Omissis innumeris, eiusce meritis, & interuentu pactis fœderibus, isthæc instant. Anno 1260. Doctore Seraphico Bonauentura Religionis habenas gerente, Pontifex Maximus Alexander 4. Cardinalis iam Ostiēsis ordinisq; Protector impertijt, vt Ecclesia S. Mariæ Angelorum Montis Aluernę, ab Orlando constructa, consecraretur, totusq; ipse Mons benediceretur. Celebratis igitur generalibus comitijs in Ciuitate Narbonæ, Reuerendisimus Pater Generalis S. Bonauentura recto tramite venit Aluerniam, ibiq; edidit officium S. Francisci anno 1261. Erumpentibus itaq; iussioni bus Apostolicis Venerabiles Patres Episcopi Aretinus, Florentinus, Fesulanus, Perusinus, Assisias, Vrbinas, atq; Tiphernas se in Sacrum Aluernæ Montem confe-

conferentes, Ecclesiasticum iuxta ritum, Ecclesiam ipsam sub titulo. *Sancta Maria Angelorum*, consecrarunt. Quin etiam, & Sanctum Montem confluentibus vndique populis Vmbriæ, Thusciæ, & Romanię processionaliter circumeuntes, cum hymnorum psalmorumq; concentu lustrali vnda solemniter aspergentes, Montem ipsum, benedixerunt, & sanctificarunt: tum etiam & *Mons Angelorum*, ob varias ibi factas Angelorum apparitiones, nuncuparunt. En fęderata omnis propè Italia in obsequium tuum Francisce. Ecquis hoc nisi tute pepigit fędus? En adhuc super mundi fędera prorsus inniteris, vita functus. Extitit postea Ecclesia hæc multis illustrata miraculis, donisq; sublimibus à Sede Apostolica cumulata, vt videre licet apud Montis Dialogos, & in nostro tractatu, vulgari idiomate conscripto, sub titulo, *Monte Seraphico della Verna*.

Construitur, & consecratur Ecclesia stigmatum. §. 1.

ANnno Domini 1264. Casentini populi confęderati, nouis ædificijs Montem Sanctum, Puppiensis Comitis, Clusinorumq; Heroum calcaribus exornarunt. Siquidem Simon Guidus Puppiensis, & Batifollensis Comes ære proprio, Sacella Sacrorum Stigmatum, & Sanctæ Crucis erexit, alijsq; permultis tum necessarijs tumq; frugi structuris adauxit. Extat de ijs marmoreum isthoc in eius pariete monimentum.
Anno Domini 1264. feria 5. post festum Assumptionis Gloriosæ Virginis Mariæ; Comes Simon filius illustris Viri Comitis Guidonis, Dei gratia in Thuscia Palatinus, fecit fundari istud oratorium, ad honorem Beati Francisci; vt ipse, cui in loco isto Seraph apparuit, sub anno Domini 1225. infra octauam Natiuitatis eiusdem Virginis, & corpori eius impressit stigmata Iesu Christi) consignet eum gratia Spiritus Sancti. Pensandum illud 1225. Florentinorum more, non à Natiuitate, sed ab incarna-

carna-



carnatione Domini computando, anno 1224. recepit ſtigmata, ſi à Natiuitatis, ſi autem ab incanationis numeraueris, anno 1225. incidit ſtigmatizatio. Anno 1310. Dom. Renaldus Archiepiſcopus, Rauennas, vnà cũ D. Aldobrandino Epiſcopo Aretino, in cuius diæceſis ditione eſt Aluerna, conſecrarunt ipſam Eccleſiam: quin & Sacellum Crucis. Extat conſecrationis ſeries in noſtro *Monte Serafico*; interq; eorum verba alia, hæc: *conſecrauimus ad honorem, & reuerentiam Sanctiſſimæ Crucis, & Angelorum cæleſtis curiæ ac Beati Franciſci, Confeſſoris digniſſimi, capellam, &c.* Titulos habet quatuor Eccleſia hæc: primus eſt, *capella ſtigmatum* ſecundus, *Baſilica ſtigmatum*, tertius, *Oratorium S. Michaelis Archangeli*, quartus, *Capella Angelorum*. Anno dehinc 1375. quia fuerat Altare vetus amotum, nuperq; extructum, cõſecrauit Epiſcopus Peſarenſis, Dom. Angelus Feducci de Bibiena, & in eo collocauit reliquias, oſſula SS. Ioannis Baptiſtæ, Sebaſtiani, & capillos S Bartholomæi Apoſtoli, benedixit cęmeterium, aliaq; fecit vtilia, Domini Albergoti Epiſcopi Aretini licentia, & facultate.

De quinque Cellis, & de Eccleſia maiori. §. 2.

AD gloriam, decus, & laudem, Sacroſanctiſſimorũ, hoc loco, Franciſci membris vulnerum impreſſorum, Heros Illuſtris, Puppienſis Comes Guidus, quinq; cellas extruxit propè Sacellum imò Baſilicam, ſtigmatum, vt in ipſis totidem Viri ſelecti, Diuinarum ad laudum munia, ſeptem ſolemnibus, tum diurnis tumq; nocturnis, horis incumberent. Erant eæ cellæ ſaxea vndiq; ſepe munitæ; hominesq; illi Anachoreſim imitantes, omni modam exterorum, tam ſæcularium, quàm etiam Religioſorum colloquia quin, & alloquia peruitabant, eoſq; ſolus Miniſter Ordinis Generalis, ſibi penitus aggregatos, immediateq; ſubditos,

able-

ablegabat, amouebat, vel confirmabat. Aſt ij tandiu Guidorum Comitum alimonijs victitarunt, quandiu floruit eorum ſtatus, & regimen. Verùm Apoſtoli Barnabæ die, anno 1289. eiuſmodi alimoniç defecere; deſtitutæ hinc cellæ, muri ſepes eruta, nec amplius reſtituta.

Anno 1348. nobiliſsimus Heros Tarlatus Comes Cluſij, & Petrçmalç vnà cũm Domina Ioanna Comitiſſa de Sancta Flore, ſua conſorte, fundarunt Eccleſiã maiorem, quç nunc extat, veteri contigua; qua cum iuncta, Crucis exprimit formam: ſtipitem priſca, brachia verò nuperrima. Ceſſauit autem ſtructura, Comite ipſo à Mortalibus decedente, quò Montis cura ad Obſeruantes euoluta, ad ſumma vſque faſtigia perductum eſt opus.

Transfertur ad obſeruantes Aluerniæ cura. §. 3.

POſtquam Patres Conuentuales Aluerniæ Montẽ tot egregijs, ornauere ſtructuris, virorumq; Sanctiſſimorum incolatu venerabilem. Conſeruarunt, totq; annis cum bono exemplo, & populorum ædificatione poſſederunt, placuit Eugenio IV Pontifici Maximo flagitante populo Florentino, obſeruantiæ Patribus Montis Aluerniç curam committere: commiſitq; anno 1431. promotoreq; prçcipuo nobili ac magnifico Domino Coſimo Medici, Apoſtolicæ literæ per Illuſtriſs. Dominum Iordanem Orſini Cardinalem Protectorem tranſmiſſç, obſeruantibus dicti Montis poſſeſſionem ſtabiliere. Hãc ad actitandam Frater Franciſcus Catani (Domini Orlandi Catani Comitis Cluſij ex linea propagatus) tertij Ordinis Franciſcanus Eremita, totus incubuit: qui optatum ad finem perducta, in ipſo Monte Seceſſicola degens, quieuit in pace, in Eccleſia veteri Angelorum humatum. Vide in hiſtoria Mũ-

tis à nobis edita, diffusius de ijs, lib. 5. cap. 8.

De felici Montis curæ progressu sub custodia Patrum Obseruantiæ. §. 5.

INcrementa inclyta Montis Aluernæ sub Obseruãtię cura, æterna celebritate sunt digna, celebrantq; se ipsa, neq; me indigent celebratore: Assigno tamen, primum atq; omnium antesignanum (egregium rudimentum) Diuini cultus obsequium. Cellulis erutis illis quinq; Basilica stigmatum quasi deserta manebat, dum in ea nonnisi sacrum fiebat; diuturnæ verò, vespertinæ atq; nocturnę laudis munia iugiter desideratę. Aggregant animum Obseruantes, nec mora: ipsomet meunte anno 1432. eorum in Montem ingressus exordio, processiones, quę hodie fiunt, ab Ecclesia Maiori ad ipsam Basilicam stigmatum, quæ 100. propè distat passus. Post vesperas procedit vniuersa Fratrum cõmunitas, aliquando hymnos stigmatum, aliquando Litanias B. Virginis, concinentium præcedente Cruce, templum accedunt, hinc inde stantes, canores absoluunt, illico a duobus clericis cantatur antiphona cœlorum *candor splenduit*, qua finita, ipsi concinunt versiculum. *Signasti Domine seruum tuum Franciscum*, respondẽtibus omnibus Fratribus, *signis Redemptionis nostræ*. Cũ autem perueniunt ad illud *Domine*, addunt *hic*, ita vt protensis indicibus digitis ad Cratem ferream (quæ est in medio pauimenti Ecclesiæ, iuxta gradus altaris, locum scilicet, quo stigmatizatus fuit Seraphicus Pater) dicant sic: *signasti, Domine hic seruum tuum Franciscum, signis Redemptionis nostræ*. Hęc est ritualis solemnitas, ab Obseruantibus instituta, hactenus obseruata, atq; in perpetuum obseruanda. Processio hęc magnam deuotionem, & pietatem circumstãtium cordibus instillat: ita vt quando, dicitur *signasti Domine hic*, Religiosi, & secu-

culares irrari se lacrymis temperare non possunt. Processio autem quæ solet fieri post Matutinum media nocte, inuiolabiliter cõtinuatur, vt ea quæ post Vesperas fit: tametsi ordine alio.

Quam sit grata processio ista. D. O. M. §. 5.

IN historijs Montisq; Aluerniæ Monimentis inueni mus, (actum inuenies in historia quam de ipso Mõte conscripsimus, lib. 3, cap. 21.) quàm voluptuosa, grata, & placita fuerit Altissimo nostro Deo, & Domino, hęc processio: quaudoquidem Regina cœli dulcissima nostra mater, processionem ipsam benedixit, & sanctificauit. Apparuit enim pròceram, comantemq; super Fagum (arborem vtiq; in Aluerna pręcipuam, Itali *Faggio*, Hispaniam verò, *Haya*, vocant) vnà cum Filio Deipara Virgo ipsa, aspicientes, & benedicentes processionem extento brachio. Videre multi, qui facti sunt digni, præsertim B. Corradus de Offida, tunc ibi demorans, insignisq; Seruus Dei, Frater Laurentius à Fabriano (aliàs Zachęus, quia statura pusillus erat.). *Apparuit Gloriosa Virgo Maria cum Iesu Christo suo dulci filio super vnam Fagum magnam, quæ tunc erat in illo loco, et sic benedicebat Fratres, qui transibant psalmizando officium eius de Benedicta. Vnde feruentiùs postea prosequuti sunt Fratres dictã processionem, et cognouerunt, gratissimam esse talem ceremoniã gloriosæ Virgini Mariæ.*, Augustinus de Millio in Dialogo Montis Aluernę, lib. 1. c. 6. idemq; testatur Auctor Dialogi antiqui ipsius Montis, c. 23. Quin etiam Episcopus Mantuanus Gonzaga in sua Chronica, par. 2. *Propè hanc ędem subßitit aliquando Fagus ex qua Virgo gloriosa Fratres benedixit.* Vidi ego qui scribo locum ipsius Fagi, imo, & germẽ. Non enim potuit populorum deuotioni, & pietati subsistere, quin decisis paulatim ramis, & stipite prorsus exuto, deficeret arefacta. Audito Antisti-

tiſtitem ipſum, loco citato. *Tanta eis ad præfatam Fagum inceſſit Religio, atq; deuotio, vt nullo pacto à Fratribus prohiberi potuerint quin eam omnino decorticaret.*

Supplent animalia proceſſionis defectui. §. 6.

QVàm delectabilis, & iucunda Deo eſſet huiuſmodi proceſſio ad Sacrorum ſtigmatum locum innotuit, anno 1442. eo quippè cum valde bruma rigeſceret adeò ninxit, vt iter ad ſtigmata niuibus interclusum, nullatenus prębcret acceſſum. Vnde proceſſio nocte illa poſt Matutinum fieri nequijt. Mane autem facto inuenta ſunt diuerſorum animalium, recto tramite ab Eccleſia, vſq; ad Sacrorum Stigmatum limina, pedum, in niue bina, & bina ſtigmata veſtigia. Obſtupuere omnes intentiq; ora tenebant Patres illi, miraculum perpendentes, quòd animalia rationis expertia proceſſionaliter ierint, ſuoque defectui ſuppleuiſſent. Miraculum iſthoc in cunctis Dialogis Montis Aluernę reperies, in antiquo, c 23. apud Auguſtinum Millium lib. 1. c. 6. Sauellium, c. 8. Epiſcopum Gonzaga in Chron. p. 2. Auctorem Deſcriptionis ſtigmatum, c. 3. & tandem in hiſtoria *Monte Serafico della Verna*, lib. 5. c. 12. Exin Fratres nunquam, quacumq; ſæuitia tempus ingrueret, proceſſionem omiſerunt.

Obſeruantia vtilibus, ac neceſſarijs Montem ſtructuris illuſtrat. § 7.

ANno 1457. ex Lanificij Florentini Conſulum ope, Nicolai 4. etiam ſubſidio, cuius vidimus in Aluernæ Archiuio literas, eorumq; inſeruimus hiſtorię Montis exemplum, Patres obſeruantes Eccleſiæ fabricam proſequuti, ad finem vſq; feliciter perduxerunt, anno 1459. Guardiano P.F. Matthęo de Luca. Turrim

N Sacram

Sacram fecere, anno 1485. Guardiano P. F. Antonio de Puppio, ex eleemosynis Piorum, amplisq; sumptibus Dominici Bartoli, tandemq; ex lapidibus quadris castri Cluſij: cuius arcis erat campana maior, quæ est in ipsa turri: translata inde anno 1486. die 9. Septembris, Guardiano P. F. Barnaba de Sena.

Anno 1498. Guardiano P. F. Christophoro Santini de Luca fuit Ecclesia violata, & turpiter prophanata à militibus Venetis illius, quod *La guerra delli Marcheschi*, Tusci vocant, prælij tempore. Transmissis enim in Thusciam copijs, castrametati sunt milites Aluerniæ circũ, Montemq; ipsum, quin & Conuentum, & Ecclesiam (excepta stigmatum) cum Sacellis, & Sacra porticu; nõ armamentarium modò, verùm & scortores quoq; pro stibulum vtriusq; sceleris stabula insuper equile, caprile, hædile, suile, ouile, bouileq; omnem illam Angelorũ Regiam effecerunt. Testantur Auctores Dialogorum, antiqui, & recentiorum, vide Augustinum de Millio, lib. 1. c. 9. fol. 108. Tempestate haccc, miles ex ipsis vnus (eodem Dialogi Auctore Millio teste) Fagum annosam, Basilicæ stigmatum tecto imminentem, bibenni conatus euertere supra tectum cadens, Basilicam ipsã solo prorsus æquare volebat. Contra verò accidit; Fagus enim non ad illam ad quam naturaliter se flectebat, sed ad partem aduersam vastos cum stipite ramos aduoluit, ceciditq; perauiè; & sic eum tota fefellit, & & frustrata est industria. Habentur in Archiuio; & ex eo in historia nostra, lib. 5. c. 6. Literæ Episcopi Diœcesani, Aretini videlicet, D. Cosmi de Paretijs, quibus Ecclesiæ reconciliationem cuiuis committit Episcopo. Dat. Aretij, die 22. Maij 1499 ibiq; sacrilegum facinus dictorum militum tangens ait. *Cum Ecclesia vestra Maior; in eodem Monte ædificata, vnà cum Cæmiterio, & Capellis extra illã existentibus propter effusionem, seu emissionem humani seminis in eisdem Ecclesia, capellis, & cæmiterio à gentibus armorum*

pro

proximo hyemali tempore; Ibidem tunc degentibus sit polluta, &c. Recōciliata Ecclesia cū Sacellis, & Cæmiterio à D. F. Fracisco de Salazar Episcopo Salaminæ, Hispano sub anno 1568. Ministro Prouinciali Thusciç, P. F. Paulo à Souaggio, & Guardiano P. F. Greg. Rassina, visitauit Dominus super scelera, & iniquitates eorum qui Domum orationis fecerunt speluncam latronum, mittēs militibus illis maximam mortalitatem, ita vt plurimi mala morte perierint; & ille qui excisam Fagum super tectum Ecclesiæ stigmatum tentauit obuertere, arreptus amentia rationisq; orbatus munijs infeliciter fato concessit. Quin etiam in Clusentinos populos, Aluernæ finitimos grassata teterrima fames anno 1500 quia multi, nedum plures, Sathanicis illis qui Templum Domini violarunt, militibus se se consortes aggregarunt, mulctę participes, vtì complices in delicto, iure merito euaserunt. Consule Dialogum Sacri Montis, lib. 1. c. 9.

Perfectam igitur Ecclesiam ab Obseruātię Patribus, anno Domini 1457. consequuta sunt alij structurarum ornatus: Organum piorū ministerio, anno 1586. Guardiano Fratre Eusebio de Mignano; tectum auro fuit anno 1609 Altare maius factum anno 1601. altare Assumptionis B. Marię 1484. Chorum anno 1600. tabernaculum cum suis ornatibus, anno 1602. Sacristiam anno 1582. parietes eius contabulati, nuceisq; tectī laminis anno 1590. Hoc anno 1590 Hoc anno porticus illa, quà itur ad stigmata, constructa est, prius enim sub aperto aere ad ipsa stigmata, constructa est; prius enim sub aperto aere ad ipsa stigmata pergebatur; facta autem porticu, non sub dio, sed sub tecto vaditur. Sacra turris anno 1489. incępta, absoluta verò 1496. Campana maior allata fuit à porta maiori Clusinæ arcis, anno 1486. illa parua facta est, anno 1490. Chorus Ecclesię veteris tabulis cōtectus anno 1465. Altaria eius, anno 1490 Imago Serafica B. Francisci, quæ est in armario Capellæ

Crucis anno 1545.quinq; lampades argenteæ, quę ante altare stigmatum iugiter ardent, obtulit Cardinalis Montaltus anno 1609. quo Sanctuarium hoc inuisit. Ædiculas illas, quę sunt super Ecclesiam stigmatum, fieri fecit Frater Augustinus Sardus Sacerdos, qui ibi annos plurimos cum opinione apud populos Sanctitatis commoratus plura alia ędificia eodem loco fecit, quę postea diruta sunt; anno tandem 1593. altare valetudinarij picta, quę hactenus extat, ornauit tabula; Capella S Sebastiani prope stigmata, extructa est anno 1480. tempore magnę pestis per Italiam, Capella S. Antonij anno 1441. Capella Comitis Checo 1532. Capella Stronconis Plebani 1550. Capella B. Ioannis de Aluerna 1518 Capella Pennę 1570. Capella illa secus hortum 1602. Cisterna Claustri vbi antea hortulus erat, anno 1524. incępta, finita vero 1530. Mansiones illas propter nobiles potentatus qui veniunt visitare Domum hanc; diuersoria illa nuperrimè fabrefacta, vnà cum ędificijs Vallis Sanctę, benemeritus Pater Gregorius à Rassina fieri curauit, & fecit. Alia breuitatis ergò prætereo, quę in historia Montis eiusce videre licet.

Apparitiones, cælestesq; visiones in Monte Aluernæ. §. 8.

MOns Angelorum nuncupatus est ab Angelico ipsomet ore, Aluernę Mons, tum ob multiformes, propèq; innumeras Angelorum apparitiones in eo factas, tum quoq; quia sub eorum tutela, & protectione est. Iure hinc optimo scriptores amplissimi pleno ore Montem Angelorum vocant. *Mons Aluerna dictus est Mons Angelorum, vt per Angelum extitit reuelatū cuidam Guardiano Florentino: dixit sibi Angelus; totus iste Mons est Angelorum* scribit Pisanus in Conform. lib. 3. fruct. 3. Apparuit hìc semel, iterum, atque sępius Angelus in forma humana Beato Francisco, vt dictum est; apparuit

ruit ei pridie quàm pateretur dolores Crucis inflictis vulneribus, cum ad patientiam hortans. Deinde *Crucis apparuit hostia, tensis in Cruce brachijs, sex alis tecta varijs cum vultus elegantia; quæ Francisci cor attraxit, augens ei charismata, suaq; sacra stigmata in eius carne protraxit*. Apparuit gloriosa Virgo, agensq; Architectum, Ecclesię formam tribuit, apparuere cum ipsa Ioannes ambo Baptista, & Euangelista, cum Angelorum multitudine. Apparuit sępius Dominus in hoc Monte B. Francisco, visibiliter, cum eo familiariter loquens, & ambulans per syluam. Omnia hęc in historijs.

Apparuit super Fagum eius cum Sanctissima matre Iesus, benedicens Fratrum ad Capellam stigmatum tendentium processionem, Guardiano Conuentus, Fratre Andrea Angelo de Colle. Apparuere sępissimé Angeli B. Ioanni de Aluerna; B. Franciscus, & BB. Apostoli Petrus, & Paulus, quodq; fit magis (omnia hęc in Chronicis) Christus ipse Dominus, qui osculanda ei prębuit sua sacratissima quinq; vulnera, odoremq; talem B. Ioannes ex laterali hausit, vt per menses plures in eius olfactu permanserit. *Dictum odorem Frater Ioannes per plures menses sensit: & similiter in dicta semita per quam incesserat, & steterat Dominus Iesus per amplum spatium circumquaq; ipse Frater Ioannes per multa tempora ipsum odorem sensit* Ex Conformitatibus, lib. 1. fruct. 8. Prætereo alias apparitiones, & visiones mirabiles eidem B. Ioāni factas.

Cemeterium Frattum eodem, quo hodie capella S. Sebastiani sita est loco erat. Hic idem Seruus Dei Frater Laurentius, aliàs Zacheus, Fratrum Sepulchrum effodit, vt capacius ipsum efficeret: eduxitq; foras ossa, ibi elapsis temporibus humatorum Fratrum, cumulatisq; ipsis vt postea transferrētur ad aliam sepulturam; lucidissima nubes, instar tabernaculi descendit super ea; cumq; post mediam noctem fratres, ad stigmata processionaliter irent, ossa ipsa cœlesti lumine circū-

septa viderunt: ex quo reuerentia digna esse, intelligẽtes in capella ipsa S. Sebastiani, condiderunt: curtos quidem penitusq; modicos sese gerentes; ipsis ossibus digno in receptaculo exhibendo. Pretiosam enim, auroq; perlucidam, Dactylothecam sunt optimè merita.

Anno 1472. apparitio B. Martyris Laurentij, Montem hunc Sanctum nouis titulis decorauit. In medio siquidem (fortuitu accensi, atq; per omnia Cœnobij penetralia subgrassantis) flammæ sese mortalibus obtulit oculis, repentè aligeri, sonantisq; ignis extinctor. Cuiusmodi rei gratia vnanimes conformesq; perpetuò vouere Aluernicolæ Fratres, post Completorium, inquam, diuturnum, Leuitæ illustris, ob extinctum ab eo incendium felicissimum commemorare; quodquidem posteri continuantes nullo vnquam negotio, votum isthoc, violare sunt ausi. Seruo Dei Mariano de Lugo, ex Gallia Cisalpina oriundo, non modò Seraphicæ Heroinæ, Magdalena inquam, verùm & Iesus quoq; Saluator, sæpe apparuerunt, & sæpius.

Anno 1501. & 1504. huius Sacris Mõtis Guardianus fuit Reuerendiss. Pater Frater Hilarion Sacchetti nobilis Florent. Hic primo quo præfuit anno, Casentinã Vallẽ adorta fame re quidẽ vera, visus est, *fidelis seruus, & prudens, quẽ constituit Dominus super familiam suam, vt daret illis in tempore tritici mensuram.* Omnes enim famelicos aduentantes, opportuni cibi suffragio, reuelauit, adeoq; viguit ministerium, vt prodigij habitum loco fuerit, non defuisse, imò redundasse farinam. Secundi verò Guardianatus interstitio memorabilis hęc apparitio contingit. Siquidem Natalis Domini sacra nocte, Conuerso cuidam Fratri, in Capella Crucis oranti, Virgo Puerpera, luminosa apparens, bellum puellum suũ filium Iesum, ac si recens tam natum, inter eius brachia familiariter posuit. Transacta visione, dilectus à Domino Seruus ipse nimirum Frater, suo Pręsuli cuncta

cta detexit, aperuit visionem; quam dehinc iucundissima nocte illa, tacito nomine, sermone mellifluo, Fratrum cordibus intimauit. Consule Millium in suo Dialogo anno 1568. Fuit exin Guardianus ipse in Commissarium Generalem electus anno 1523. Postquam Ministrum Thusciæ Prouincialem laudabiliter egit. Obijt tandem Florentiæ, anno 1535. Si quis alia scire sitierit, Chronicon adeat, Conformitates consulat. *Speculum* videat.

Aluerna miracula. §. 9.

MIrifica, quæ hoc in Monte mirabilium opifex Deus effecit, exili volumine difficillimè possent claudi; innumera propè sunt plusquam vulgari digna eloquio. Ea igitur, in præsentiarum prætermittentes singula, saltem aliqua peragremus.

Miraculum. 1.

MIraculum omnium antesignanum est, opificium illud inclytum, impressioq; vulnerum cruentorum, clauis cum quatuor facta in Sacratissimo corpore B. Francisci. Hoc vtiq; Alexander 4. *Magnum, & singulare miraculum*, vocat Baronius; *Miraculum immensum*: Bellarminus *signum maximum ac singulare, & quasi prodigiũ omnium prodigiorum*. D Bonauentura, *nouum & stupendum miraculum*. Henricus Sedulius, *admirandum, & inauditum*. Rupertus à Lecio Episcopus Aquinatensis serm. S. Catherinæ Senensis, *inter miracula grandia nostræ fidei, Fräcisci consignatio supremum obtinet locum*. Excludit miracula Incarnationis, Eucharistię, &c.

Miraculum. 2.

Contractio rupis illius, quando à Dæmone præceps actus, Franciscus à Montis fastigio corruens, exceptus à petra illæsus evasit, quo loco multa quoq; accidere miracula, personis deuotis, cùm reuerenter visentibus.

Miraculum. 3.

FAgus annosa, & procera (sub qua erat Cella Francisci constructa, vbi est hodie capella Magdalenæ) foramen habebat in medio stipite, in quo B. Franciscus aquam benedictam servatam habebat; & ex antiqua traditione maiorum habemus, quòd in illum arboris cauum manum stigmatizatam Franciscus multoties misit, vnde in posterum aqua mirabiliter scaturiebat ex arbore, & hoc modo perseuerauit scaturiendo, & pellendo aqua ipsa oculorum morbos, vsq; ad annum 1602. vigilia festi S. Francisci, hora completorij, nullo afflante vento, arbor auulsa, vastissimos ramos, & stipitem humo substrauit. Hoc tempore orta est in ordine nostro tribulatio magna per partes Italiæ; eiusque arbor hæc, vti mysteriosa, & Sacramentalis, extitit nuntia: quemadmodum, & illa alia arbor Ilicis, quę erat in Ciuitate Senarum, arbor inquam S. Francisci nuncupata, quia ex arido baculo eius in terra fixo surrexit, & fronduit, hoc itidem anno deficere orsa, ad annos perpaucos omnino defecit, ramis orbata, euulsa radicitus, germenq; nouellum penitus arefactum, vt hisce oculis vidimus. Audiamus Auctores qui huiusmodi Fagi scaterntisq; ex ea salubertimę lymphæ, prolongatum, continuatum, & nullatenus interruptum attestantur miraculum Episcopus Mantuanus Gonzaga in sua Chronica, par. 2. *Propè hanc ędem aliquando substitit Fagus, ex qua Virgo gloriosa fratres benedixit; cui alia einsdem generis arbor*

arbor successit, quæ scaturientibus venis aquam, ad pellendos oculorum morbos salutarem perpetuò ministrant. Eadem arbor erat illa, quæ lustralem continebat vndam, quęq; ex contactu Francisci clauigerę manus, virtutem perenniter scaturiendi, oculosq; sanandi contraxit, cum illa super quam Virgo gloriosa cum suo Filio benedicens processionem apparuit. Successisse autem aliam ait Gonzaga, non quidem bene, eadem enim iugiter substitit, vt Dialogistæ Sacri Montis affirmant. Doctissimus Augustinus à Millio ex oppido Cetica in suo Dialogo; *quantum ego recordor, iam 49. vel plures sunt, quibus semper fuit aqua in ista Fago: quin etiam negare non audeo, quòd S. Franciscus non abluerit aliquando manus suas aqua illa; & ex tali contactu consequuta sit postea talem virtutem, sanandi oculorum ægritudines.* Strepuit admodum huiusmodi Fagi miraculum per totam prope Italiam, præsertim Thusciam, Vmbram, & Galliam Cisalpinam: vsque ad annum, vt diximus 1602. Guardiano P. F. Francisco de Souaggio, quem ego cognoui, & dum in Sacro Monte degerem, à conscientiæ secretis mihi sæpius fuit, retulitq; mihi de ipsa Fago, & aqua stupores: obijt ipse nonagenarius in dicto Monte. Aurelius tandem Sauelli, de rebus Aluernæ scriptor veridicus, in suo compendioso Dialogo, hoc modo loquitur, *Vsque ad annum 1602. Guardiano Fratre Francisco de Souaggio; concidit in vigilia S. Francisci Fagus quædam, in qua erat foramen, in quo perpetuò aqua existebat, & nunquam siccabatur: quæ habebat virtutem sanatiuam, & præsertim pro oculis; quam virtutem, secundùm, quod dicunt, vetus & nouus Dialogus, contraxit aqua prædicta, à manu stigmatizata S. Francisci. Cęterum aqua ipsa nunquam erat corrupta, & ego fateor misisse ex ea in Vrbem Florentiæ œnophora plena* (Flascos Llenos) *diuersis viris illustribus, dum dicta Fagus erat in pede: & hodie ex dicta aqua, conseruatur pro memoria, in ampulla inter Reliquias; & quidam Frater Laicus nomine Donatus de Gello fecit fieri Sacellulum in*

loco

loco vbi erat Pagus ipsa. Adhuc extat Capella cum miraculo ibi depicto.

Miraculum. 4.

ANno 1480. crudescente inclementia brumæque sæuitia, ascendenteque circumquaq; plurimos cubitos niue, Religiosi non potuerunt egredi pro eleemosyna ad populos;absumptisq; omnibus, quæ penes eos erant,panis reliquijs, humano prorsus adminiculo & subsidio destituti, ad illum *qui dat escam omni carni, & pullis coruorum inuocantibus eum*, precibus feruentissimis recurrentes, in Ecclesia persistebant. Hora 19. campanæ sonitum audijt ianitor; cucurrit. Apertoque ostio iuuenculum inuenit, cum iumento calidis onusto panibus; exoneratoq; disparuit: necubi visa sunt saltem per niuem vestigia. Erat hoc anno Guardianus Aluernę Frater Philippus Bisticci Florentinus.

Miraculum 5.

ANno(circiter)1453. frater quidam ex Aluernę incolis,volens adaptare, transuersa, quæ deseruiebant ad repagula, vel substentacula,in Saxo pręcipitij ligna,impulsus à dęmone, deorsumq; missus, cum ligno in dorso,75. cubitorum altitudinem,impunè corruens,peragrauit.Religiosi statim cum Cruce, & feretro ad vallem, cui præcipitij impendet, concurrentes obuiam eis venientem, & *Te Deum laudamus*, cum eodẽ ligno super humerum,offenderunt. Fuit quoq; alter, qui ab eodem pręcipitij Saxo incolumis concidit, & & illæsus, frater inquam Franciscus de Maleficijs Florentinus, qui postea Corsicam petiens, quieuit in Domino,ibique sepultus est, vt videre licet in Conform. lib. 1. Conform. 8.

Mira-

Miraculum 6.

ANno 1440. Illustriss. D. Petrus Ioannes Orsini Capitaneus Generalis Florentię paralisi debilitatus, membrorumq; omnium officijs destitutus, sacrum ad illud Saxum, quod *letto di San Francesco* (*Cama de San Francisco*) nuncupatur, reuerenter euectus, & super ipsum à suis famulis positus, simul ac membris contigit Saxum, integram sanitatem recuperauit. Testes fuerũt huius miraculi Religiosi quotquot eum viderunt cõtractis membris adductum, continuoque restitutis, à spelunca (in qua petra illa genuina inquam, rupique montis innata, culcitrulæ instar, iacet) laudantem magnificantemq; Deum, qui est mirabilis in Sanctis suis, egressum: in cuius rei monimentum, dictus Capitaneus anno sequenri 1441. super eandem speluncam construi fecit ære proprio, capellam S. Antonij Abbatis, cum miraculo in parietibus pictis coloribus illustrato.

Miraculum 7.

CApella illa (in qua est *Petra repromissionis*, aliàs *mensa S. Francisci*, super quam ipse sumebat edulia, & Christus sedit, vt diximus) ostium habuit annis quãplurimis ingentis vastæq; rupis obstaculo prępeditum, ita vt difficilis ad ipsum Sacellum ipsum esset aditus. Orante igitur Seruo Dei Fratre Mariano de Lugo, abscissa rupis medietas, fecit duo; & aditum simul, & pontem præbuit, quà intratur ad locum, & transitur ad *Saxum fletus*: illud idem quod sese fere totũ in aere librat.

Pręterea sanitates innumeras diuersis ęgrotis ab Optimo Maximo bonorum omnium largitore collatas, meritis vtiq; & intercessione fidelissimi Serui sui Francisci; omitto Dęmoniacos liberatos; pręsertim quando nullatenus introduci potuit vnus ad stigmata; vlulásq; bellua,

bellua, coacta est dicere, quòd ab illo corpore exire potiùs, quàm intrare volebat ad ipsa stigmata, Fratres annuerunt, & signum exitus ab eo petierunt; assignauit, & ait: *arripiam, & auellam vnum lapidem ab angulo parietis Capella stigmatum* (*de la esquina de la capilla de las llagas.*) Et quidem, vt est in Montis labro conditus, indeq; horrideque horribile 75. cubitorum præcipitium imminet valli; omnino inaccessibilis est. Assensum igitur præbentibus Viris Dei, abscessit, petramq; ab ipso muri angulo Dæmon extraxit; qui ad perpetuam rei memoriã petræ vacuum, in ipso muro Occidẽtem versus agnoscitur. Pertranseo plurima Dei magnalia hoc Sacro loco pãtrata, Reuerendiss. Patris Guillelmi, Episcopi Aretini, vt extat in suis literis sigillans encomio, sic profati. *Sanctum locum Montis Aluernæ cunctis profectò Orbis terræ sublimitate stupẽdi miraculi celsiorem in nostra situm prouincia, diuina munificentia, plus vernantibus miraculis, quàm floribus venustatum, toto mentis affectu amplecti proponimus, tanquam vberrimis laudibus affluentis reuerentia prosequendum, & ex intimis præcordijs cupimus feruenti conamine venerari.*

Memorabiles casus Aluernæ. § 10.

Lauernicolę Religiosi, in illis speluncis gelidis dumisq; horridis clitentes, per mediam brumam, & medias niues nudipedes incedentes. Anachoriticę vitę studiosi, insignis abstinentiæ rigiditate viuebant, voluptuosaque edulia penitus auersantes, auream illam Hilarionum, Timonum, Amoniorum, Serapionum tandem, & Zozimarum ætatem ab interitu vindicabant. Agitabat res, hęc stimulis amarissimis hominum hostem, torquebat augebatq; Sanctitas, & perfectio Seraphici Lauernismi, noctigenarum agmina tartarorũ pertimescebant vtiq; Dęmones, vigilias, orationem, ieiunia, paupertatem, silentium, misericordiam, & humili-

militatem Fratrum Minorum. Non ferens itaq; eorũ virtutes, callidus anguis, humanam sumens ex aere formam, nobili ac diuiti viro vallis Clusinę, propè Aluernam domum habenti se se famulum dedicauit eaque industria, & solertia vsus est vt totam ei domus curã committeret. Contigit autem de fratribus Aluernæ dulces conferre sermones, eorumq; virtutes prosequi laudibus, Sanctos prædicans, & perfectos; quibus eloquijs tum diurnis tumq; nocturnis, vulpes astuta, diuitis illius munificentiam erga Fratres hortata, eiusce animum ita in ipsos effecit propensum, vt eos quotidie carnium, piscium, frugum, panis & vini exuberantia adeò cumularet, vt habenis iam, iam laxis per amœna cupediarum iugera inciperent vitulari. Assiduè namq; omnigenis onerata iumenta mittebat edulijs, abstinentiæ rigiditatis extinctor. Ingemuere Senes, spiritualis vtì vitæ Magistri, antiqui serpentis astum illustrata mentis acie penetrantes; sibi suisque fratribus prospicere statuerunt. Carpunt ex ijs duo ad nobilis viri illius præsentiam iter, tantęq; circa fratres Aluernæ solicitudinis, deuotionis & pietatis causam exquirentes, eiusce famuli persuasionem fuisse comperiunt. *Quotidie*, (inquit) *o Patres nil aliud mihi famulus suadet, quàm vt vobis, optimè meritis, Dei Seruis, abundantissimè prouideam: ideo mitto vobis tam frequenter, & abundanter cibaria; quia dictus famulus certificauit mihi, quòd estis boni & Sancti.* Ad quę Senes. *Quis est hic famulus qui vobis talia suadet?* Ad quę ille. *Sapiens quidem officiosus, & magnæ prouidentiæ vir.* Tunc Senes deprecati sunt, vt eum ad se venire cõpelleret; restiterat enim sępe, repugnauerat sępius comparere: Venit tandem ad eorum præsentiam, vixq; oculos in ipsum coniecere, quum se iam exploratum atq; detectum esse intelligens; prorsus euanuit, & necubi visus est postea. Detecta fraude Senes Dominum illum enixè rogarunt ne ampliùs Aluernę fratribus eiusmodi

di

di mitteret alituras; destitit: non tamen à devotione; qua exin, erga Religiosos, præsertim Aluernicolas, ardentiùs efflagrabat. Meminit rei huius Lusitanus in Chronica, par. 1. lib. 10 cap. 24. Habes in historia Mõtis Aluernę, lib. 1. c. 11.

Memorabile.

ANno Domini 1466. Guardianatus Fratris Iacobi de Alexandria Insubris, Nouitius quidam laicus cum esset infirmus, & morti propinquus, rogauit valetudinarij magistrum, vt ei fracturam, siue cauterium in tibia faceret. Magister, quippe qui erat Seruus Dei, & magnę charitatis vir, nihil frugi rupturam fore cognoscens, abnuit. Tunc dæmon voce humana in aure loquẽs Nouitio ait. *Non vides tu quòd istis fratribus charitas est extincta? Considera quanta crudelitas in ipsis, quòd in vna modica re nolunt te consolari: igitur commenda te mihi, & ego adiuuabo te.* Tunc Nouitius clamauit & dixit: *ego me tibi commendo.* Hoc citius dicto adortus est eum Dæmon; & cum esset iam proximus morti, Fratres vt moris est, circumstantes dicebant ei, vt se Deo recommendaret, respondebat autem ille; *ego me recommendo diabolo; non Iesum, vt vos dicitis habeam. sed diabolum habeo in corde meo, eũque voco, vt me adiuuet in hac hora.* Fratres id audientes, dicebant ei: *dic Iesus*: ipse autem, *diabolus, diabolus*, multoties replicabat. Eleuantesq; lacrymabilem vocem, omnes aiebant. *Iesu Iesu adiuua eum* Nouitius autem per antithesim, *Diabole, diabole adiuua me.* Exiluit lecto, quin cũ vis vlla tenere potis esset, nilq; obstantibus, qui cum tenaciter apprehensum, sex octoue detinebant, ad scalam dormitorij superioris, infirmariæ scilicet, violentissimè trahens omnes, peruenit. Erat in capite scalæ Crux lignea pendens, ex qua vox articulata exiens ait. *Afferte Crucem Sacristia.* Respondit Dęmon per os No

uitij.

uitij: *ego non expectabo eam*. Currunt Fratres ad Sacristiã, accendunt cęreos, cotas accipiunt, & processionaliter venerunt cum Cruce, crystallina in qua est portio ligni Crucis (quam Illustriss. Cardinalis Iacobus Columna Sanctum Montem veniens visitare, donauerat) mirifica Crucis virtus! Simul ac eam vidit apparere per dormitorium, fugit Dæmon, liberumq; reliquit oppressum. Cognouit Nouitius errorem suum, totamq; Fratribus casus historiam retulit, & cum maximæ contritionis indicio, Sacramentaliter expiatus extremum clausit.

Memorabile.

ANno 1563. cum esset annonæ caritas, & penuria, nequicquam poterant Fratres aduentantiũ multitudini morem gerere. Quamobrem Guardianus Conuentus, Frater Syluester de Puppio, per obedientiam pręcepit, ne alius, quàm ianitor, eleemosynam daret vlli. Quodam die post Completorium Frater Marcus de Cortona laicus Refectorarius, pietatis insignis, more suo ibat oratum in Ecclesia stigmatum, transiensque illac, puerum laceris amictum vestibus sedentem reperit, frigore contrementem, & querula voce panis frustrulum flagitantem. Frater Marcus miseratione ductus, vestigia reuocat panisq; medium exhibet inopi (o formidanda iudicia Dei) Recedit, & sero sequenti eodem loco panem lachrimabili tono petentem se offert Marco: nec mora, pijssimis eius concussis præcordijs, affert panem. Erexit se mendicus, vlulatumq; ore dedit horribilem: & cum impetu, & furia formidanda corripuit fratrem Marcum, sublatumq; sub aera, cribrauit, obnoxiit, & ab aeris, in quo ipsum excutiebat, & agitabat, sublimitate, proiecit in barathrum illud inquam *Saxi fletus* abyssi profundum, quod nonnisi comis horrentibus aspectatur. Accipiunt voces, & strepitus

tus Fratres,qui erant in platea Conuentus; accurrunt, & cognito casu, funes iniiciunt, ligatumq; extrahunt à Dęmone iam obsessum(siquidem ipse erat lacera veste indutus puer,qui ad eum supplantandum,eleemosynam petijt, vt inobedientię crimen incurreret) Deferunt in Ecclesiam,adiuratusq; inimicus abscedit;Manet frater Marcus inobedientię suę reatus humillimus agnitor, & cunctis in posterum obtemperantiæ efficacissimus præco. Discito melius esse obedire, quàm sacrificare:*non vult Dominus holocausta,& victimas,sed potius, vt obediatur voci Domini; melior est enim obedientia quam victimę, & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere.* 1. Reg.c. 15. Loquutus sum cũ Religiosis, qui cognouerunt fratrem Marcum præsertim cum satis longęuo, fratre Ioanne de Cayano, qui mihi dixit: ego cognoui fratrem Marcum, quia commorabamur in Conuentu Senarum,circa annum 1572. & quoties audiebat nominare Montem Aluernam pallida eueniebat facies eius, & lacrymãdo dicebat,discite à me fratres mei,discite obedire. Obijt diem sepultusq; fertur in Conuentu Cortonæ. Labentibus inde annis,in memoriam tanti casus,eodem loco, quo Dæmon sedebat panem petens, ipsumq; arripuit fratrem Marcum, fornicem construxerunt capellulæ instar,cum historia facti in ea depicto.

Memorabile.

ANno 1560. veniens Frater Saluator de Corzano Laicus,à Valle Sancta, horam circiter noctis tertiam,in Aluernam, ingrediens syluam via, quæ ducit ad Montefatucium, circumdederunt eum Lupi duo, & cum eo iuere vsque ad valliculam in qua est illa capella Gloriosę Virginis;videns se in tanto periculo cõstitu-

ſtitutum, & quòd Lupi ſe aggredi videbant' ſub tantę Matris præſidium confugiens, deuotè atq; humiliter ſupplicauit, vt ſe ab periculo liberaret. Continuò ſplendor à Capella egredi viſus eſt, qui totam vallem illuminans,& Lupos fugauit,& ſemitā ad conuentum clarificans, Fratrem Saluatorem ad eiuſce conuentus vſque ianuam perduxit hilarem, & iocundum.

Memorabile.

ANno 1601. Sacrorum Stigmatum celebritatis die, ſceleſti homines duo ludentes blaſphemarunt,& cum eſſent ſub ardua rupe iuxta hortum,ſecuſq; viam, ſtatim,vt blaſphemia exiuit ora eorū,abſciſſus eſt lapis è ſcopulis qui ſupra eos erant, volutanſq; deorſum ſe turbine pręceps ęgit, & per mediam gentium multitudinem irruens,nihil intulit mali,nihil offuit,neminem lęſit; perueniensq; furenter ad rupem ſub qua ludebāt ſcelerati illi,terruit eos, non autem à ludo deſtitere: imò peiores facti,perſeuerarunt,ludere, & blaſphemare: donec vnus in alterum inſurgendo,correpto ferro ſe inuicem peremere.

Memorabilia.

ECquis eſt is,qui breui ſic texto, concludat Aluerniæ mira volumine? ſatis huc: omne quippe mirabile ſanctum culmen: omne ſanè portentis exuberans. Boletos veneficos impunè quis edet? Nemo planè niſi Aluernicolæ Religioſi Fungos enim ſuapte natura Lethiferos (hiſce oculis egomet vidi) comedunt ipſi, quin vnquam nocuerint. Cum ſi quis alibi veſci audeat fungis huiuſmodi venenatis,intereat.Vidi,quo ibi ſum demoratus biennio quendam optimę conuerſationis Fratrem,Tadęum nomine,80 annorum decrepitum grauitate:(hic omnes quadrageſimas B. Franciſci inuiolabiliter ieiunabat)hoſce quotidie fungos ſibi in ſportula ferre;coquere,& manducare.Rem proculdubio ſupra naturam credito:quam ſi dubites, inficie-


ris;experiare quæso,vtrum qui alijs naſcuntur locis,vt lauernigeni, ſint commeſtibiles veneni feri fungi.

Expiatus eſt anguibus Mons Aluerna: notabile nimium eſt,quòd nunquam ibi, cum tot ſint rudera, cauernę,ſciſſurę,foramina,ſcrobes,hiatus,& caua multifora,dumeta,nemora, ſyluę, viperam, aſpidem, colubrum,ſerpentemq; viderim, neq; viderint vllibi commorantes,niſi in horto, qui eſt inferius ad montis fimbrias. Verum adſtruo,vera proſor,Hyeme, Vere,Æſtate, Autumno Montem incolui,iacui, vidi, luſtraui, & circuiui; nunquam tamen, aliud quàm lucertulas exploraui. Araneas,& ſcorpios aliquando ſi videas, nunquam lęſiſſe comperies, Bufonem, aliaq; hoc genus, tellus hæc alma non gignit. Lupos habet;at meritò *Iſaię illud non nocebunt, & non occident in vniuerſo Monte Sancto meo aptari*, poteſt: non enim quid afferunt, neque attuliſſe comperi, damni.

Quin, & volucres Montem hunc Dei pinguem, & coagulatum(ſuopte neſcio an inſtinctu)venerabilem, & admirabilem videantur pietati noſtratium commendare. Dodonam credetis,columbarum cæleſtium geniale, atq; deliciosum periſterotrophium. Corui duo perennes excubias agunt, ne alter aduentet, ſaxorumq; omnia caua tuentur inhoſpita, conflictus exercent, ne alter ſuccedat, quodq; mirificum; educatam abſcedere prolem, non amplius reuerſuram: extinctoq; aliquo ex duobus, primogenitum primogenitamue ſuccedere. Cætera Montis Aluernæ mirifica, (vt ſunt,vnquam non lędere, nocereq; fulmina: Saxū illud ſeſe ſuſpendere propè totum: comātem omnem Fagis,Fraxinis,Ornis,abietibus, alijſq; arboribus Montem ipſum,diuturna ſectione,abietumq; fiſſione haud obſtantibus,proſpectum ſingularem præ cęteris obiectare;& genus hoc alia)omittimus enarranda.

De

De Sacri Montis Aluernæ felicitate, Sanctorum hominum incolatu, Stigmatumq; impressionis fine. Lib. 7.



Felicitatur Aluerna Sanctorum hominum incolatu. Cap. 1.

SEraphici nostri, super mundi fœdera, Patris innixui locuples *Amen* arridet; plenarium *Fiat* obsequitur; dum eius non quidem inglorius finis euadit. Dilatantur vniuersi per orbis climata Minorelli, peruolitant almę oleę frondes, manibus, oreq; ferentes; Incunt inquam mutuas amicitias Principes; æquo in pacem fædere veniunt populi, totiq; illibati coniugalia fœdera plures firmant. Amen id fęderum. Verùm enim verò Sacratissimum fędus, ad quod Franciscus totus incubuit, non temporalibus modò verùm, & Spiritualibus quoq; triumphis illustre, diffunditur. Aluernię Sanctũ fædus, virorum cælestium comitijs illustratum, Sanctorumq; præsentia decoratum, en hic.

Sacra, & Sancta, à decumanę literaturę verticibus vocantur, Aluernæ spelæa: Angelorum vti terrestriũ, hominumque cœlestium incolatibus felicitata; Isthæc namq; turbineo sæuientium tempore tyrannorum, latibula Martyrum euadere, oratoria necnon liturgię Sanctissimę celebritate, diuinarumq; laudum munijs veneranda, eorum gemitibus repercussa, lacrymis madefacta. Hosce Aluerna tot sęculis nactus honores, quò aliriger ibi Seraphicus Heros apparuit. Subhinc ille (cuius prodigiorum tonitrua vmbrarum territant principatum, Mortisq; regię tremefaciunt fundamenta) Hispanię proles, pauor infidelium, noua lux Italię,

nobile depositum vrbis Paduanę, Antonius inquam Diuus, Anachorita moratus, ibi suos prędicabiles edidit libros, sibiq; scripturę ad cõciones promptuarium concinnauit. Cum autem loci natura corpulentę eiusce non esset innoxia complessioni, Aluerna relicto, Cerbarolum, quinque fexue distans millia, coluit mõtem. Postmodũm anno 1260. Doctor Seraphicus, Bonauentura, Generalis Ordinis tugurium sibi, eo quo nunc est eius oratorium, loco extrui fecit, ibiq; se Deo conglutinans, opuscula scripsit, officium quoq; B. Frãcisci condidit. B. Ioannes de Firmo, dictus de Aluerna, cuius vitam, & miracula Chronica, p. 2. lib. 8. c. 1. Conform. lib. 1. Conform. 8. Aluernæq; Dialogi narrant, morator Aluernæ ab anno 1289. vsq; ad annum quo migrauit ad dominum 1309. Scribuntur de ipso magnalia, ex ijs hęc. Nascitur anno 1259. Religionem ingreditur ætatis suę anno 13. anno domini 1272. Generalatus S. Bonauenturę anno 16 infans cum reliquos dies lac nutricis frequens sugeret, quarta, sextaq; feria, necnon Sabbato semel dumtaxat. Septennis cœterorum se consortio puerorum abstinens, vsq; ad sanguinem flagellis carnem affligebat: cumq; à disciplinæ secessu domum repeteret, inter carnem, & indusium ponebat vrticas. Annos 10. natus Canonicus Ecclesiæ Firmianæ creatus, loricam induit eamq; perpessus est pluribus, catena subcinctus; Diuersos abstinentię modos exercuit, donec ad solam quartam panis partem edendam, absq; difficultate peruenit. Interdum, exuta lorica sibi ferream laminam librarum 30. supponebat. Annos 30. vixit in Monte Aluernę, eo loco quo capella sub eius nomine sita est; Triennio sedit nunquã, nisi in Choro, & in Mensa communi. Toto tempore vitę suæ ieiunauit in pane, & aqua, insignioribus festis demptis. Omnes B. Francisci quadragesimas annuas facessebat: vnamq; ex ipsis cum sola herba, & aqua; nõ

autem

autem plus herbæ sumebat quàm tantum quantum duobus poterat amplecti digitis: aliam cum tanto madefactarum quantum fabarum poterat capere pugno; aliam cum nautici modico panis interdiu: aliam tandem cum hordeaceo pane peregit exiguo. Omitto alia quę de ipso perhibent, Chronicę, admiranda potius quàm imitanda. Deambulabat Christus cum eo per cellę plateam, ibiq; fauores ei contulit singulares: & vsq; in præsentem diem semita illa quà Dominus ambulauit, videtur & noscitur, non enim per totam ipsã, nascitur vnquam herba, cum tellus vndiq; vireat, locus ille candescit, vernoq; tempore nedum hyemali, totoq; iugiter anno terra perseuerat in herbis ita Dialogi Sacri Montis, & Augustinus à Millio, lib. 1. c. 17. *Hæc sunt*, ait; *magna mysteria quæ facta sunt in hac semita Capellæ Fagi* (quia sub Fago habebat cellã seruus Dei, quæ quidem, hodie vocatur capella, B. Ioannis de Aluerna, alias capella Fagi) *quorum gratia nostri antiqui Patres, vsq; ad nostram ætatem, in huiusmodi semita magnam semper habuere reuerentiam; & erat apud sæculares vulgare prouerbium, quòd ibi miraculosè herba non nascebatur. quia terra illa Christi pedibus calcata fuit*. Videtur Millius dubitare de isto miraculo, sed ego proprijs oculis vidi, quòd veris tempore, æstatis, atq; Autumni, nunquam per illam semitam nata est herba; cuius rei singularitati oculos aggregaui, mentem adhibui, verumq; comperi, herbam nullatenus ibi nasci. Commoratus est quoq; in Monte Aluerna B. Corradus de Offida sanctitate insignis, miraculorum splendore, & scientię nitore conspicuus. Anno 1430. Seruus Dei Laurentius à Fabriano, dictus Zachæus, Aluerniam coluit, annosq; 50. In eo feliciter consummauit: semper nudis pedibus, detecto capite, in pane, & aqua, vt plurimum; & tandem plenus dierum, annos 110. natus, de ijs in ordine 90. consumptis, quieuit in Domino.

Anno 1435. Frater Ioannes Ricci Florentinus professione laicus, qui ob singularem eius virtutem, non modò Guardianus; Aluernæ, verum etiam Minister Prouincialis Thuscię fuit. Anno 1440. Frater Angelus à Ciuitella professione laicus, fuit Guardianus Aluernę, & immediatè postmodum Minister Prouincialis Thusciæ:tantum potest virtus. Anno 1437. Frater Ioãnes de Perusia, dictus *Lo Scalzo*, quia nudis pedibus incedebat; Guardianus Aluernæ, & postea Minister Prouinc. totamq; visit Prouinciam nudipes. Anno 1452. insignis Dei Seruus Frater Bernardus Vngarus, vir eximię Sanctitatis,& puritatis,adeoq; extaticus, vt triduo, & quatriduo in Sylua raptus atq; à sensibus alienatus perseueraret;habuit & is propheticum spiritum. Anno 1454. Frater Ludouicus de Sena, perfectionis exemplar, Guardianus Aluernę, qui Leprosum sua induens tunica mox sanauit. Anno 1466. Frater Iacobus de Alexandia insubris, Guardianus Aluernæ, & postea Mõtis Sion in Ierusalem; adiens Soldanum Ægypti ægrotauit in via, iacensq; super arenam, dum hora suæ resolutionis instaret, Crucem, quam secum ferebat, amplexus, Sanctam animam Deo reddidit, anno 1478. die Parasceue. Anno 1450. Seruus Dei Frater Bernardus de Mandella Insubris venit Aluernam, ibiq; annis 38. expletis migrauit ad Dominum. Meruit hora illa à Gloriosa Deipara visitari, à B. Maria Magdalena, à B. Virgine Catharina, &c. vide de ipso apud Gonzagam, & Chronicam, 4. par lib. 4. c. 57. Marianum, Augustinũ à Millio, aliosq; Auctores. Obijt anno 1487. Seruus Dei Frater Benardus de Bibiena, de quo in Chronica p. 4. lib. 5. c. 20. vixit in Aluerna cum magna austeritate. Obijt Lucæ anno 1490. Anno 1483. Frater Antonius de Viua Aretinus, de quo in Chron. p. 4. lib. 5 c. 21. Guardianus Aluernæ, cum opinione Sanctitatis diem obijt. Anno 1495. Seruus Dei Marianus de Lugo de Romania,

nia, defuncta vxore, discessit Romam, cumque peruenisset ad locum, qui *Albergo nuouo*, dicitur, propè Aluernam, ibi diuersatus est: videns autem tam pulchrū Montem, fixis oculis aspectabat; quando ab ipso Monte vox intonuit dicens: *Mariane, Mariane in hoc monte saluabis animam tuam.* Audita hac voce mutatus in melius, ascendit, habituque obtento, factus est Frater Minor. Annis 15. varias dæmonum perpessus insidias, diuersisq; tentationibus agitatus, victor euasit. Deuotissimus fuit Sanctissimo Sacramento Altaris, immobilisq; quatuor integras ante ipsum horas extaticus impendebat: quin etiam plures voce humana Sacramētum ipsum loquutum ei fuit. Vide Chronicā p. 4. lib. 5. c. 47. Dialogum, lib. 3. c. 2. Habuit reuelationes, & visiones cælestes. Apparuit ei multoties Seraphica Magdalena; idcirco cella dicti Mariani, vocatur *Capella della Maddalena*, propter apparitiones, & colloquia cum suo deuoto Mariano. Deniq; clarus miraculis ab humanis excessit, obijtq; anno 1495. sepultusq; ibi. Vide Dialogos de rebus Montis, & Chronicam p. 4. lib. 8. c. 64. inueniesq; de ipso mirifica. Anno 1493. Frater Balthasar Genuensis, missus est in Montem Sanctum; demoratus est ibi, ad annum 1496. eoq; ibidem in pace quieuit; apparuit ei sæpius B. Maria Magdalena meruitq; videre puerum Iesum in cuna; ex historijs ipsius Montis. Anno 1504. quidam Frater Laicus, cuius nomen apud historicos non apparet, vixit multis annis in Aluerna, cum odore Sanctitatis; cui apparens Virgo Maria, in nocte Natiuitatis Domini, posuit in eius brachijs infantem suum Iesum, veluti recens natum. Quieuit in pace. Anno 1510. Emporij obijt F. Bartholomeus de Anglario, de quo in Chron. par. 4. lib. 9. c. 22. vixitq; in Monte isto annis multis, habuitq; reuelationes, & raptus, necnon Angelicas apparitiones. Iacet Emporij. Anno 1612. migrauit ad Dominum in Conuentu S.

Saluatoris Florentiæ *Burga de Ogni Santi*, Frater Petrus Maria Corti Florentinus, qui etiam in Aluerna cum magno Sanctitatis exemplo annos plurimos peragrauit, deuotissimus vtiq; Sanctissimæ Virginis Conceptioni, à qua multos fauores accepit, præsertim in hora mortis. Anno 1590. mortui sunt in Aluerna duo fratres laici, frater Iacobus de Ruosina, & frater Bonus de Corgiano: ambo quidem perfectionis exemplum: ambo vno die habitu Religionis induti, ambo, vno eodemq; die defuncti. Eorum corpora integra post annos multos fuere reperta in Sarchophago S. Sebastiani. Anno tandem 1625. Nouembris mense Minister Generalis Frater Bernardinus de Sena Lusitanus, dedit Aluernę Conuentum Fratribus qui Reformati nũcupantur; venerunt me pręsente; & acceperunt claues Officinarum, & Sacristię septem menses cum patribus Obseruantiæ, annumq; cum dimidio postea cum ipsis fratribus Reformati nuncupatis: omnia sint ad laudem Deiq; Opt. Max. gloriam, ad honorem quoq; quem signauit signis Redemptionis nostrę, serui sui Frãcisci.

De stigmatum impressionis fine. §. 1.

Finis, Laus Deo.

STigmatum finis, Laus Deo, & Iesu Crucifixi amor; inflammatio nec non Fidelium cordium fuit; Hũc finem Ecclesia orans in Missa innuit, ijs verbis: *Domine Iesu Christe, qui frigescente mundo ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne Beatissimi Patris nostri Francisci, Passionis tuæ sacra stigmata renouasti*, Ab exordio mundi, à protoparentis opificio, Crucis figura, ceu inter nubila

la Titan emicuit, mundus signatus est Cruce. Quippe qui mundum erat refecturus in Cruce, ipsa mundum voluit signare, creatum: atq; ita singularem in modū Passionis suę mysterium designauit in rebus, vt ipsæ tametsi mentis, vel sensus expertes, Redemptionis humanę perferrent à longe præconia. Nota Crucem in omnibus propè creatis.

✠

Crux in vniuersali mundi globo.

✠

CRuciger est mundi globus, Oriens Occidens stipitem, Septemptrio, & meridies brachia formāt. *Cælum quoque ipsum huius signi figura dispositum est: nam quatuor partibus, hoc est Oriente, & Occidente, Meridiano, & Septemptrione distinguitur, quatuor quasi Crucis angulis continetur.* Ambrosius de Cruce serm. 56. tom. 5. Auctor illorum in Marcum commentariorum, c. 11. *ipsa species Crucis quid est, nisi forma quadrata mundi?* Idipsum S. Gregorius Nyssenus orat. 1. in Resurrect. Christi. Sedulius autem operis Paschalis lib. 4. canit.

Neue quis ignoret speciem Crucis esse colendam, quæ Dominum portauit ouans ratione potenti, quatuor inde plagas quadrati colligit orbis, splendidus Auctoris de vertice fulget Eous occiduo Sacræ labuntur sydere plantæ: Arcton dextra tenet medium læua erigit axem, cunctaq; de membris viuit natura Creātis, & Cruce complexum Christus regit vndique mundum.

Crucis Christi Mons Aluernę angulis quatuor continetur quadrata præditus superficie.

✠

Crux in decima Sphæra.

✠

IN decima sphæra, primum mobile nuncupata, Crux elucet. In hoc siquidem cœlo constituunt Astronomi Zodiaci circulum, in 12. signa diuisi, ab Aristotele, Meteor. lib. 1. cap. 9. *Circulus obliquus*, dictum sub

quo

quo pergens ſol per lineam Eclipticam, temporum diuerſitatem, menſium varietatem, dierum longitudinem, vel breuitatem refert Mortalibus. In hoc igitur circulo ſeptennarij virtute numeri, Crucis figura mirabiliter efformatur. Gradiens enim ſol per dictum circulum Zodiaci, à primo punto Arietis, vbi fit ęquinoctium Vernale, ſimul ac ſeptimum ſignum, hoc eſt primum punctum Librę, accedit, ibi Autumnale equinoctium efficit. Vnde puncta hæc per diametrum ex aduerſo ſe reſpicientia, quandam rectam formant lineam tanquam rectum Crucis ſtipitem: Inde abiens à primo Cancri puncto vbi Solſtitium, vſque ad ſeptimum ſignum, oppoſitumq; primum Capricorni punctum, vbi efficit brumam, format aliam rectam lineā, ab vno ad aliud oppoſitum punctum, tanquam tranſuerſale Crucis lignum. Quod quidem Philo Iudæus de mundi opificio mirificum perpendens ait. *Sol ipſe dier Dux, bina quotannis æquinoctia faciens, vere atq; autumno, vernum in ariete; autumnale in libra, euidentiſſimam probationem exhibet Diuinæ Maieſtatis in ſeptenario.* Crucis Chriſti Mons Aluernæ 12. Monticulos intra ſe continens quodammodo totidem ſignis alludit: ſol iuſtitiæ, in cuius pennis ſanitas; in forma Seraphica veniens, myſticam ibi Crucem perfigurauit; dum ipſius Crucis inſignia contulit Duci ſuo. Quin etiam 12. ſigna Zodiaci 12. Franciſcanis ſociis prætulerunt ſymbolum; ſeptenarius quoque numerus ſuo pro modulo hic non deeſt, quando quidem Septembris menſe ſtigmata ſunt impreſſa: Solſtitium quoq; habes, o Pie, dum aliger Titan in Aluernę vertice ſtetit: Brumam fecit, dum primo aſpectu Dei Viro metus inſiluit: pluuialem quoque hyemem, tanti ſanguinis, quem in vulneratione profudit, imbribus, erubentem. Æquinoctium vernum habes, in analogica vtriuſq; paſſionis herilis, ſeruiliſq; paritate. Nox inquam Dominica Paſſio apud nonnullos dicta eſt, ob

illas

illas vtriusq; solis tenebras: quibus creatus eluxit, increatus occubuit. Vernale floridumq; æquinoctium igitur sol effecit dum vernantes Crucis flores in Francisci corpore germinauit. Audi Bonauenturã, in offic. Translationis, lect. 5. *Plaga verò lateris, vt vernans roseus flosruberet.* Ver assiduum Aluerniam reddidit Sol, tot Martyrum rosas, Virginum lilia, Confessorumq; ferẽs violas. Hinc cecinit quidam.

Di quel gran Monte intendo
Oue Borea neuoso,
Di fuor mai sempre Verna
Mà lo spirto soprano
Dentro v'adduce primauera eterna.

Miracula insuper flores sunt, quos Verna producit. *Diuina munificentia, plus vernantibus miraculis quàm floribus venustatum*, ait in quibusdam suis literis Episcopus Aretinus Guillelmus. Autumnale quoq; æquinoctium habes dum Autumno Sol pennatus efferbuit, carnesq; virgineas B. Francisci amoris flammis adurens, tanquã Autumnales (*omnis caro fænum*) herbas, arefecit.

✠

Crux in octaua Sphæra.

✠

Viuificę Crucis signum Firmamento opifex summus insculpsit, iuxta polum Antarticum, quod Hispani, *el Cruzero*, Itali verò nautę, *La Crociera*, alias quoque *il carro Australe* seu *carro dell'Ostro*, vocant. Formàta est Crux hęc ex 4. fulgentissimis stellis, quę circùm Poli Antartici excubiarum circulum permeant: nec videri vllatenus possunt nisi ab ijs, qui nauigantes ęquinoctiale versus, ad gradus saltem 22. æquinoctij peruenerint. Sydeream ista Crucem anno 1515. Ianuarij 6. die, Andręas Corsali Florentinus, desegnatam figuratamq; ab Indię *Cochin* vrbe, nobilissimo Domino Iuliano Medici transmisit vide epistolam apud Doctissimũ

Bosium

Bosium de Cruce,lib.2.c.3. Meminit Benedictus Pererius Valentinus in Comment. Super Dan. lib.4 *Qui ad nos scripserunt, vel etiam venerunt ex regione Americana, quæ cælo Antartico subiecta est, affirmarunt in cælo, nec tot cerni stellas, quot in Artico, easq; minus fulgere, aspectuq; notabiles, præter vnam quandam valde illustrem sydꝫrum speciem, & effigiem, quam Cruciferunt appellant. Hoc sydus quatuor ex fulgentibus, ex æquo ferè distantibus stellis, in similitudinem Crucis pulcherrimè figuratum est.* Poeta Dante de Purgatorio, in principio, canit.

Io mi volsi à man destra, e posi mente all'altro Polo, e vidi quatro stelle non viste mai fuor ch'à la prima gente.

Crucem aliam in Sphęris inferioribus planetarum septem formari accidit diuersorum motuum gratia earundem sphęrarum. Consule Bosium lib.2.c.3. Crucis Christi Mons Aluerna stellas Crucis habet. Quatuor stellas in Aluerna Crucem fingunt; claui scilicet quatuor in extremitatibus animati cœli, Beati Francisci inquam manibus pedibusq; fulgentes. Apud veteres tunc potentiora sydera putabantur, quum quatuor cęli angulos ipsa tenebant. Refert Marsilius Ficinus de vita cœlitus comparanda, lib.3.c.18. tom. 1. *Tunc enim stellæ magnopere sunt potentes, quando quatuor cæli tenent angulos, imò cardines.* Vulnera Martyrum pretiosa quidem sunt, & potentia ad placandam, mitigandamque iram Dei, eiq; ad peccatores conciliandos: Franciscana verò pretiosiora quidem, vti eiusce Christi, tanquam ab eo inflicta, ac tandem quia in angulis; hoc est manibus, atque pedibus, eisdem plane locis, quibus ipse Dominus prætulit Crucifixus.

✝
Crux in homine.
✝

PRotoplastus parens in sua formatione Crucis effigiem prætulisse à nonnullis traditur. Patriarcha Antio-

Antiochenus S. Anastasius Synaita in examerom lib. 4. videtur alludere, dum ait. *Similiter etiam homo ad formam Crucis figuratam habens imaginem Christi Crucifixi, præfiguravit quatuor cornua Crucis.* Fuit quoque in sensibilibus Adam Christo similis; innuere videtur Ecclesia, dum ita canit.

Qui mundi in primordio
Adam plasmasti hominem
Cui tuæ imagini
Vultum dedisti similem.

Præterea homo extensis manibus Crucem gerit. *At humana figura, non alia re à belluis differt, quàm quòd & recta sit, & manuum extensionem habeat, & in facie à fronte protensum nasum, per quem, & respiratio an malibus est, neq; aliud demonstrat quàm signum Crucis.* Ait S. Iustinus Martyr in Apologia, 2 & Ambrosius serm. 56. *ipsius etiam incessus hominis cum manus leuauerit, Crucem pingit: atq; ideo eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoq; membrorum gestu Passionem Domini fateamur: tunc enim citiùs nostra exauditur oratio cum Christum quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.* Crucis Christi Mons Aluerna Crucigerum multiformiter hominem cęlo protulit; Tres Crucifixos hospites habuit, Christum in Cruce positum, Seraphicam formam cruciatis alis, ipsumq; apertis brachijs Franciscum vulnera recipientem.

✠

Crux in humanis operibus.

✠

HOmo nonnisi per Crucem res agit suas. Audi S. Martyrem Iustinum in Apol. 2. pro Christianis. *Considerate namq; vobiscum res in ordine cunctas, an absque forma ista administrare quidquam, aut commercium aliquod habere homines queant. Mare certè quidem non scinditur nisi trophęũ hoc, quod antenna siue velum uocatur, in naui integrum maneat. Terra absq; hoc non aratur. Fossores autem opus non faciunt, neque*

que itidem Manuarij Artifices, nisi figuram hanc habentibus instrumentis. D. Ambrosius de Cruce Christi serm. 56. tom. 5. *Grande est Crucis Sacramentum: & si intelligimus per hoc signum mundus saluatur, Nam cum à nautis mare scinditur prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, ut Cruce Domini facta aquarum fluenta rumpantur, & hoc Dominico securi signo portum salutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim Sacramenti quædam est uelum suspensum in arbore quasi Christus exaltatus sit in Cruce. Atq; ideo confidentia de mysterio ueniente, homines uentorum procellas negligunt, peregrinationis uota suscipiunt. Sicut autem Ecclesia sine Cruce stare non potest, ita & sine arbore nauis infirma est. Sed & bonus agricola cum parat terræ solum uertere, & uitæ alimenta perquirere, non nisi per signum Crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale subijcit affigit aures, stiuam inserit, figuram Crucis imitatur: compactio enim ipsa similitudo quædam est Dominicæ Passionis Hoc igitur Dominico signo mare scinditur, terra colitur, cælum regitur, homines conseruantur.* Marcus Minutius Felix in octauio: *signum,* inquit, *Crucis naturaliter uisimus in naui, cum uelis tumentibus uehitur, cum expansis palmulis labitur, & cum erigitur iugum, Crucis signum est.* Idipsum Origenes hom. 8. in diuersis.

Crucis Christi Mons Aluernæ scissus est à summo vsq; deorsum (instar maris erecta arbore, veloq; distẽto) quando Crucis arbor erecta est, in Monte Caluariæ, petræ scissę sunt, & monumenta aperta sunt, & velum Templi scissum est à summo vsq; deorsum. Crucis Christi Mons Aluernæ hominem protulit, qui per omnia Crucis signum gerebat, Franciscum vtique, de quo canitur. *Dum formam Crucis gerere, uult corde, ore & ore & opere.* Accipe ipsum per crucem omnia peragentem, ex Conform. lib. 3. fruct. 3.

Crucis

CRucis domum cernit plenam,
Crucis audit sonitum,
Crucis Christi nouit pœnam
Crucis agit monitum:
Cruce uestem consignauit,
Cruce Draco pellitur,
Cruce fratres destinauit,
Crux pro libro colitur,
Crucis ense uenustatur
Cruce frons conscribitur,
Crucis forma præsentatur,
Cruce caro figitur,
Cruce aqua permutatur;
Cruce ignem temperat,
Cruce attractus solidatur,
Cruce mentem subleuat,
Cruce fratres consignantur,
Cruce auis mittitur
Cruce puer reparatur
Cruce morbus pellitur,
Cruce ossa delegantur
Cruce manus soluitur,
Cruce cæci radiantur
Cruce Dęmon aufugit,
Crucis Regem intuetur,
Cruce uirtus discitur,
Crucis signo edocetur
Cruce caro pingitur,
Cruce pestis abdicatur
Cruce grando siluit,
Crucis bonum imprecatur
Cruce cęlum adijt.


Signasti Domine Seruum tuum Franciscum
Signis Redemptionis nostre

✠

Crux in auibus.

✠

FOrmat homo Crucem natans in aqua, format, & piscis, quin & auis in aere. *Aues quoque ipsæ, quando in sublimiora obuoluuntur, & pendent per aera extensis alis imitantur Crucem*; Origenes hom. 8. in diuersis, & Ieronymus in Marc. cap. 15. idemq; S. Anastasius Synaita in exam. lib. 4. *Et tamen nec pisces sunt priuati figura quaternarij, cum habeant figuram Crucis, sicut etiam volucres, cum quibus facti sunt, ipsi enim duabus alis, & capite, & cauda feruntur in aere, & aquis*. Crucis Christi Mons Aluernæ, auem illam tinctam per totum, de qua (vt nonnulli explanant) Ierem. c. 12. pendentem in aere sæpius habuit, sæpissimè supra se vidit, vt volucrem raptu extatico mirabiliter subleuatam, vt retro sermo, habeturq; in Conform. lib. 1. fruct. 8 *Frater Leo vadens de nocte, vt diceret Matutinum, cum B. Franciscum non reperisset in Cella, vidit eum tam altè eleuatum, quòd tangere poterat eius pedes, aliquando eum vidit transuersis, in quarum cuiuslibet extremo sit auris, & oculus, vt quatuor oculis videant, totidem audiant auribus. Vnicis ventre atq; intestinis, in quæ commesta confluunt. Pedes circùm habent plures, quibus in vtramq; partem ambulant. Huius belluæ sanguis mirabili asseritur virtute: omne enim corpus concissum dum spirat, hoc tinctum sanguine, e uestigio cohæret: similiter, & manus cæsa reliquæque corporis, dum vita supperit, partes resarciuntur, si recenti adhuc applicentur vulneri.*

Crucis Christi Mons Aluernæ, huic fere similem animātem, generosum inquam illustrem, & Mortalibus Sacrosanctum nobis offert; Franciscum Seraphicum, dorso Crucigero venerandum; ab Angelo siquidem Thau sacro, recens natus in dextro humero purpuratus; en illud duabus lineis per medium transuersis animal insignitum. Ecquis nescit, quòd *Crucis magnum mysterium super Francisco claruit, dum signatus apparuit, Cruce*

duorum ensium Quatuor oculis, totidemq; illud se gerit auribus; similiter nostrum insigne Crucigerum. Quatuor oculos, corporales duos, mentalesq; totidem habet amabiles, Lynceos, & argutos, quibus Deum, & in assumpta, & in assumente natura conspexit. In assumpta, ò quoties, ò vidit corporeis oculis: en præcipua visio.

Cernit Seruus Redemptorem,
Passum impassibilem,
Seclorum Imperatorem
Tam pium, tam humilem.

In assumente, eccere: *Ad iam dictos contemplationis excessus deductus est, vt ipsum Regem gloriæ pluries videret, & Sanctos*, ex Conformitatibus lib. 2. fruct. 3. quod ni expleat, accipe clarè. *In monte Abirim Moyses terram cernit Israel proximam nec ingreditur, Deuteron.* 32. *in Monte Aluerna vitam æternam cernit Franciscus sibi promissam, & de ipsa subarratur* Ex eisdem, lib. 3 fruct. 3. Quod si non satis, accipe clariùs. *Quartum mirabile fuit alloquutio arcana, qua, qui sibi apparuit aliqua verba ei dixit, quæ alicui viuenti noluit reuelare. Vnde dicit Bonauentura, credendum sanè est tam arcana fuisse illa Seraphica eloquia, quòd nō liceret hominibus loqui ea. Sicut Apostolus fuit raptus vsque ad tertium cęlum, & ibi audiuit arcana Dei, quæ non licet homini loqui.* Ex Doctore illuminato Mayronio serm. 1. de B. Fran. Quod si nondum satis, accipito clarissimè. *Sanctus etiam Franciscus, prout legitur lib. 2. Conformitatum fruct. 3. Franciscus subleuatur; viginti vicibus raptum, & excessum mentis, Mortalem adhuc vitam agens, patiebatur: de quo pie credendum est, quòd per raptum ad Dei beatificam visionem peruenit, præsertim dum Seraphicis desiderijs sursum actus in Sacro Monte Aluernæ Stigmata Dominicæ Passionis, per Christum Seraphica specie apparentem impressa suscepit.* Ex Doctissimo Ludouico de Prussia in suo *Trilogio animæ*, par. 2. cap. 16. Adstipulatur Auctor Dialogi Montis Aluernę, Baptista Moles de prophe-

phetijs B Fran c.4 Rodulphus Tossinianensis, in histo ria Seraphica, lib. 2. nec non alij.

Quatuor aures quoq; habet generosum animal Aluernæum, duas inquam corporis, totidem animę illis visibilia, hisce inuisibilia Dei Magnalia ad bonum iugiter arrectis exaudiens. Corporeis hæc ex Bonauentura, & officio: *audit in Euangelio, quæ suis Christus loquitur: Euangelij non surdus auditor: verborum audit tenorem, viro non effabilem* animę verò auribus, isthęc: *raptus vsque ad tertium cælum, & ibi audiuit arcana Dei.* vt supra. Plures autem pedes habet hic animans quibus totum peragrat orbem. Siquidem pedes Prædicatores sunt. *Quàm pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem,* Isaię 52. Ieronimus in hæc verba. *Apostolos intelligi volens.* Et August. in Psalm. 90. *Qui sunt pedes Domini? Apostoli missi per totum orbem terrarum. Qui sunt pedes Domini? Omnes Euangelistæ, in quibus peragrat Dominus vniuersas gentes.* Franciscus plures habet pedes; mundi climata peragrantes: vbiq; gentium vbiq; locorum Franciscana vestigia terram signant; Et tunc Iaponias, Philippinas, nouasq; Hispanias pedes Pauperum gressus Egenorũ calcant: præsertim Nudi, excalciati, columbellę Seraphicæ, decor, & decus Religionis nostrę, veri nudipedes, veri pauperes, Alaudæ tandem illæ, quas Pater amabat viuens, diligit mortuus; Quàm pulchri super Montes Indiarum pedes discalciati annuntiantium, & prædicantium pacem annunciantium bonum, prædicantium salutem. Quàm pulchri pedes B. Martyr Petrus Baptista, cum socijs? quàm pulchri Sotelus, & Socij?

✠

Crux in vite.

✠

IN Ciuitate Pintię, vulgò Valladolid apud Hispaniam Crucifixus vnà cum Cruce extat in Conuen-

tu de *San Benito el Real* ex vitis radice, vnde & nomen traxit Hispanicè *el Crucifixo de la cepa*, non humanitas, imò Diuinitus ita natus, & productus ab ipsa natura. Habet Cęsariem Nazaręo more, sub axillis pileum ornamentum, barbam cum capillis ex eadem vite, ita subtilibus, & exilibus, vt naturales omnino videantur. Hoc pretioso Xenio Patrum ille Benedictorum Conuentus donatus est anno 1415. ab Illustriss. & Reuerendiss. Domino Don Santio de Roxas Archiepiscopo Toletano, Benedicti 13. Antipapæ, nepote. Habet in vultu imago ipsa nescio quid Diuinum venerabilemq; adeò maiestatem, vt intuentium timorem ingerat cordibus, & amorem. Meminit huius mirifici Crucifixi Doctissimus Iacobus Bosio de Cruce lib. 2. cap. 6. Crucis Christi Mons Aluernæ (mysticè loquēdo) Crucifixum cum ipsamet Cruce protulit, dum in eo Franciscus, Christo concrucifixus, manus manibus, pedes pedibus, lateri latus aptanti simillimus factus, Crucem pariter, & Crucifixum pręseferens, portentum immensum, prodigium inclytum, cunctisq; Mortalibus stupor euasit.

✠

Crux in arundine.

✠

Aliud hisce oculis, hisce manibus vidimus, tractauimusq; Matriti singulare portentum. Crucifixum inquam cann? vultu, humanisq; præditum mēbris, capillos in vertice, barba, axillis, (imò in partibus infimis quoq; notauimus) præferentem. Extat hoc pignus in Ecclesia Fratrum Minorum Obseruantium sub titulo *San Francisco el biejo* in pixide, soletque in processionibus à Ministro loco Crucis deferri. Supra verticem habet, *La cepa* de la caña *cortada*, idęst signum incisæ cannulę, pilos ex eadem radice, tanquam sericis Leonini coloris fila quędam. Vidimus (iterum attestamur)

mur) manibusq; contrectauimus dum in ipsa Mantuæ Carpentanę Regia curia, annum circiter 1621. versaremur.

✠

Crux in herbis, & arboribus.

✠

INdia Perû insignitum Crucis mysterijs habet florē, quem Hispani *a flor de las cinculagas*, nuncupant: columnam in eô, flagella, & spinas, quin etiam clauos natura produxit. Occidente Sole statim se contrahit, eiusq; ad ortum vsq; conus, quinq; occlusus frondibus perseuerat. In Regno Iaponiorum inuenta est intus arboris in medulla Crux ab ipsa natura formata, refert Marcellus de Ribadeneira, in sua historia. Anno 1609. in Vrbe Roma in Conuentu Patrum. *Congregationis B. Mariæ Fulensis, Ordinis Cisterciensis*, apud Sanctam Potentianam, curcubita secta per medium suapte natura Crucem intus insculptam gerens, à multis grauibus viris visa est, refert Bosius lib. 2. de Cruce: talisq; Crux erat qualem pictoris industria poterat efformare. *Crucis tristis Mons Aluernæ*, lilium habet sanguinei coloris, Crucem gerens; alioquin vulnerum monimentum, frondes quinque. In Arboribus Crucem, Abietum ramis Excellentissimè Crux inest. Abundat Vernia lignis abiegnis. Preterea scissurę Montis Crucem planè Męandris vllatenus repræsentant.

✠

Crux figurata.

✠

AB initio creaturæ sub figuratiuis vmbris Crux versata est. Fictilis moles opificij Protoparentis, in Cruce erecto in cęlum vultu, passisq; manibus condita perhibetur à multis. Lignum vitæ, symbolū Crucis, ex Clemente Alexandrino, Pedag. lib. 2. Gentiano Commentatore; Beda in iob. 24. Damascenus orthodox.

dox. lib. 4. c. 12. Innocentio 3. Myst. Missæ lib. 2. c. 17. Cirillus, Theodoretus, & alij. Fluuius qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum qui inde in quatuor capita diuiditur, Gen. 2. Crucis adumbrans, partium quatuor diuisione signatę. Fustis quo Abel peremptus est. Lignum Arcę quo Noè seruatus abundis, ex Ambros. in Luc 4. & de vocatione Gentiũ c. 4. Isidorus Hispalensis Episcopus Comment. in Gen. Cirillus Clemens Alex. omnesq; fere Doctores asfirmant. Item 300. cubiti longitudinis Arcæ Noè, Crucis extitere symbolum. T. namq; apud Græcos 300. significat. T. verò Crux ex Isidoro Hispal Episc. in Comm. Gen. de diluuio mundi. Longitudo, & latitudo terrę quam Abraham perambulare iussus est, Gen 13. Crucis vmbra: siquidem longitudo, & latitudo, apud Paulum ad Ephes. 3. Crucis etiam significatus est: ita Augustinus de verbis Domini, serm. 7. cap. 3. Expediti vernaculi illi 318. quibus Abraham liberauit Loth, mulieres & populum, Crucem, & Crucifixum eo numero præsignarunt. Quia. T. apud Grecos 300. IH. verò significat 18. Atqui. T. Crux. IH. Iesus. Ex Ambrosio, de Abraham lib. 1. c. 14. Clemente Alex. Strom. lib. 6. c 4. Ambrosio de Abraham lib 2. c. 7 & in Prologo primi libri ad Gratianum Imperat. lib. 1. c. 9. Ruperto in Genes. Commen. lib 5. cap. 15. Clemente Alex Pedag. lib. 3. c. 2. Isidoro Hispal. Episc. Cõmen. in Gen. c. 10. Quercus Mambræ, sub qua vitulum tenerrimum coctum tribus hospitibus impertiuit, Gen. 18. Crucis vmbra: ex Origene in Gen. cap. 17 Hom. 4. Chrysostomo in Luc. 15. Isidoro Hisp. Comm. in Gen. c. 14. Beda in quæst. super Gen. tom. 8 fol. 204. Diuo Benengoso Abbate, *de mysterio ligni Dominici, & luce inuisibili*: alijsque.

Ligna sacrificij, quę portauit Isaac, Gen. 22. Crucis ænigma: Ambrosius Chrysost. Cirillus, Theophil. tus

orig-

Orig. Clemens Alex. Auguſt. Ieronym. Gregor Beda &c. Scala Iacob, Gen. 28. Crucis figura, Auguſt ſerm. 79 de temp. Cirillus Alex. ſeu Iodocus, in Ioan. lib.8.c.17.Baculus Iacob, Gen. 32 ex Clemente Alex. Pedag.lib 3.c.16.Beda in qq.ſuper Gen. Auguſt. de tēpore ſerm.79 Anulus, quem Pharao Ioſeph digito inuexit,Gen 41. Crucem innuit:ex Beda,in Gen.cap. 41. Chryſoſto. hom. de veneratione Crucis. Cancellatæ manus Iacob benedicentis Efraim, & Manaſſen. Gen. 48. Crucem exprimebant: Tertull. de Baptiſmo, cap. 8. Athan. de pluribus, & neceſſarijs qq. q. 25. Ieronymus in Ierem.c.31.Damaſcenus,Ortho. lib. 4. cap. 12. Beda in qq.Geneſ. Rſiper. Commen. in Gen. lib 9. c. 24. Virga Ioſeph, cuius faſtigium adorauit Iacob, ex Paulo ad Hebr. 11. Crucem indicabat.

Agnus aſſus in figuram Cruci ſimilem conformatus in veru,Crucem itemque,& Crucifixum Ieſum amoris aſſum igni præfigurauit exod. 12. ita Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone Iudęo; Cyprian. de Cæna Domini. Ieronymus in Iſa. c 53. Cyrillus Alex. in Io. 17.Damaſcenus orthod lib.4 c.12. Iſidor. Hiſpal. in Exod. de Paſcha cap.15. Columna illa Dux populi, Crux erat.Exod.13.ex Clemen. Alex.Strom lib.1 c.13. Naziāz de externi hominis vtilitate.Chryſoſt. de Moyſe pluresq: Doctores. Virga Moyſis, exod. 14. Crux ad viuum expreſſa. Cirillus, Aug. Chryſ. Damaſcen. Beda, omneſq; Doctores. Lignum,quod Marę aquas in dulcedinem vertit,exod. 15. Lignum Crucis. Ita Iuſtinus Martyr, in Dialogo,Origen. in exod. 15. hom. 7. Tertull. aduersùs Iudæos, c 13. Chryſoſt. *de adoratione pretioſæ Crucis*, Gregorius Nyſſenus de vita Moyſis, Ambroſ. Aug. Ieronym. Theodoretus, & alij.

Nota mirabile in vnctione Summi Sacerdotis apud Hebræos.

ADhuc in summi Sacerdotis vnctione exod. 30. Sacramentum Christiq; Passionis mysterium figuratum est. Oleo Sancto vngi solebant tum Sacerdos, cum Rex quoq; diuersa tamen figura: Rex enim orbiculari signaculo, instar, O, circumcirca Sacerdos autē, in modum. X. O Admirandum Deum! perfidi quando resipiscetis? Non videtis Nazareni Iesu, quem in Crucem egistis, imperium Crucis? Refert Doctissimus Bosius de *Triumphante Cruce*, lib. 3. c. 10. antiquos Rabbinos Hebræos, Isaac Abarbanel, in expositione Pentateuci, super c. 39. Exod fol 206. colum. 4. *Principale*, aientem, *seu conclusio est. quòd figura vnctionis in Sacerdote Magno, non est eadem cum figura vnctionis Regum, cum tamen fuerit. effusio olei eadem super vtrosq; Dicunt enim in Guemard, Doctores nostri: Quonam pacto vngebantur Reges. Sicut species Nazaræorum. Sacerdotes verò sunt forma Caph, vel sicut .X. Græcum? Respondit ibi Rabi Menasseia Bar Ghera. SICVT CARACTER .X. GRÆCVM.* Verùm in Tamuld, tractatu Cheretot, c. 1. melius Rabinorum verba illhac serie lectitantur. *Quonam pacto vngebantur Reges? Respondit: ungebantur veluti corona, circum circa caput. Sacerdotes verò, veluti .X. stillabatq; oleum super caput Aron, et hinc inde* (nota hic aliam Crucis figuram) *in quatuor partes descendebat veluti quatuor pretiosę guttę. Iterum quærit: quid sibi vult chi? Respondit Rabi Menscia: sicut figura chi Græci X.* Confirmat Rabi Salomon, dicens: *sicut litera Græca, quæ formatur hoc modo X* Idipsum legitur in aliis multis Hebręorum codicibus: vt in *Men chot*, cap. 8. in *Rabot*, idest in magna Glossa super Pentateucum, & super c. 30. exodi: tandemq; in libro *Men seroehu*.

In Decalogo Crucis mysterium delitebat, denarius enim numerus hac litera .X. connotatur; Isidorus Hispal. in Exod. 3.

Omittimus breuitatis gratia peragrare figuras alias,

vt

vt ſtruem lignorum Leuit. 1. ſtruem itidem lignorum Leuit. 4 Vectem vuæ. num. 13. Virgam Aaron germinantem, num. 17. Virgam Moyſis Petram percutientem, num. 20. Serpentem æneum num. 21. Funiculum coccineum Raab Ioſuè. Quercum Gedeon, Virgam qua tetigit carnes Angelus, Iudic. Buccinam corneã, & 300. viros bellatores Iudic. 7. columnas duas quas Sanſon apprehendit. Arborem maligranati ſub qua Saul erat in Gabaa. Reg. 1. Altare conſtructum; Citharam, & baculum Dauid. Quercum Abſalonis. Ligna de quibus Salomon diſputauit, ligna quibus interius Templi parietes texit. Et duo ligna, quæ colligebat Sareptana vidua: 3. Reg. c. 17. Baculum Eliſei Reg. 4. lignum, quod fecit ſuper aquas natare. Reg. 4. Omittimus vaticinia Prophetarum, quę ipſius Crucis myſterijs affluentiſſimè ſcatent; ad Gentilium Ethnicorum figuras ſermonem conuertimus.

✠

Ægyptij in ſuis hieroglificis, & figuris Crucem ponebant.

✠

QVia non Hebræis ſolum ſed etiam Gẽtibus, Crux alma ſalus eſſe debebat, prouidentia ſumma vtriſq; voluit tradere figuratam. Vnde Aurelius Prudentius in Paſſione S. Romani Martyris, reſpondens Ethnicis ait *Crux iſta Chriſti, quam nouellam dicitis, naſcenti mundo factus, vt primum homo eſt, expreſſa ſignis, expedita eſt literis Reges Prophetæ, Iudiceſq, & Principes virtute bellis cultibus ſacris, ſtylo formam Crucis non deſtiterunt pingere, &c.* Ægyptiæ igitur vetuſtatis, quę Romæ ſunt fragmenta formam quàm plurima Crucis oſtẽdunt. Adeas doctiſſimum, quin & piiſſimum Boſium, lib. 5. diffusè de iis actitantem, ſed & nos vidimus Crucem almam in eiſdem Ægyptiis obeliſcis, & ſtatuis efformatam; præſertim in obeliſco qui extat in platea Laterana, vtrinq; Thau videtur inſculptum; & ſurſum quoq; non Thau

ſed

ſed qua pingitur forma Crux extat ſuper verticem Bubonis. Marſilius Ficinus, lib. de vita cœlitus comparanda, c. 18. aliįq; Auctores affirmant, quòd Serapidis idoli pectori Crux inſculpta erat, ſignumq; ipſum, futuram vitam intelligebant. In quadam ærea Hieroglyphica tabula, quę hactenus apud Sereniſſimos Mantuę Duces aſſeruata eſt, *Iſiaca Tabula* aliàs nuncupata, Imagines duæ ſunt vna Creatoris mundi, quem Ægyptij *Eneph*, altera verò Vulcani, quem ipſi Phtha vocant, vtraq; Thau gerens, & in pennaculo ſupra verticem, diſtinctam Crucem. In eadem tabula Hieroglyphicū, animal ſcilicet leonis corpore, & accipitris capite, videas, quod quidem ſupra caput circulum, & in eo pulcherrimam gerit Crucem: in baſis quoque fimbria Cruces habet ſeptem. In obeliſco quem Sixtus V. erigi fecit Romæ in platea Populi, in frontiſpicio Vrbem verſus, humani corporis, accipitris autem capitis ſpeciem præferentes imagines extant duę, cum Thau in manu. Simulachrum Solis, apud Illuſtriſs. Cardinalē Burgheſium geminum reperitur, cum Thau in manu. In Tabula prædicta, quæ apud Sereniſs. Mantuę Duces hactenus extitit, imagines alias duas, quarum vna Thau fert manu, reperies.

Apud Illuſtriſs. Card. Farneſium ſimulachrum Canopi cuiuſdam idoli Ægyptiorum, aſſeruatum, in cuius anteriori parte corporis Tabula hieroglificis exculpta videtur, cum ſex Crucum formis, pluresq; reperies in vetuſtiſſimis ſimulachris Ægyptiorum; miraſque quas Boſius li. 5. c. 9. fol. 566. & fol. 532 & 533. cōſidera.

✠

Romani in his trophęis ferebant Crucem.

✠

TErtullianus in Apologetico aduerſus Gentes, c. 16. id verſans, *diximus*, inquit *originem Deorum veſtrorum à plaſtis de Cruce induci. Sed & victorias adoratis, cum in*

tro-

trophæis Cruces intestina sint Trophæorum. Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa iurat, signa omnibus Dijs preponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes, monilia Crucium sunt. ypara illa vexillorum, & Cantabrorum (in alijs editionibus legitur, Labarorum) *stolę Crucium sunt: laudo diligentiam, noluistis nudas, & incultas Cruces consecrare.* Marcus Minutius in suo Octauio *Vos*, inquit, *qui ligneos Deos cõcratis, Cruces ligneas, vt Deorum vestrorum partes, forsitan adoratis: nam & signa ipsa, & Cantabra, & vexilla Castrorum, quid aliud quàm inauratæ Cruces sunt, & ornatæ?* Satis de hoc: nec opus hic inseri, quod apud Antiquarios inuenitur. De Imaginiferis, atq; Pręposítis Labarorum, vetustissimi codices Theodosij, & Iustiniani habes exactè. Antiquissima basis marmorea, in Romano Magni Ducis Etruriæ, super collem Pincium Xysto, visitur, ibiq; Labariferi milites, sed in Labaris Crucis signum. Consule potius discursum Religionis antiquę Romanorum, per Guillelmum Coùl Lugdunensem; Doctissimum Bosium *de Triumphanti Cruce*; ibiq; toreumata (vulgò medallas) cum Cruce videbis: Lucij nempe Septimij Seueri Imperaroris: Adriani Cæsaris aliud graphicum Schema, Quiremis nimirum Romanæ classis, primariæ simulachrum. Aliud Marci Antonij Crucigerum Labarum, duasq; hinc inde hastas, cum Cruce. Aliud Nauis Pretorię Quinti Nasidij, Sexti Pompeij Classis, Capitanei Generalis, in arboris vertice Crucem habes. Peragra tandem fol. 560. 562. videbis mirifica; qualiter Crux Romanis, inscijs inquam, venerabilis extitit Sacrosancta; quandoquidem, in Tropheis, insignijs, & vexillis, eam ponebant; quin planè, quid ponebant, scirent. Fortunæ simulachrum, Crucem habebat in dextera, Crucemq; super caput. Franciscas demum, quę ante Consules ferebantur quis non mirans inspiciat? Crux enim est, bibennibus compacta virgisq; vide illam, apud Bosium fol. 555. quę talis est.

Hæc



Hęc eſt forma,& figura Franciſcarum,quas Romani ante Conſules ferre ſolebant. Philoſophare,nunc ò mei Franciſci piſſime cultor,.Crux erant Franciſcę? Crux Franciſcus: circumcirca.Cruciger;,cruciatus in dorſo per Angelum: in fronte, *Crucis ſignum Thau litera fronti Franciſci ſcribitur*. In pectore: *Cruce duorum enſium*; in manibus,pedibus,& latere. Igitur & Franciſcus in Franciſci prętiguratus extitit apud Ethnicos? Quid ni? Nullum inde naſcitur auium:vt qui Gentium Redemptoris ſignifer eſſe debebat; Gentibus etiam foret vmbra. Capitanea claſſis Romanę, in faſtigio arboris Crucem ſerebat Seraphicus Dux Franciſcus,Minorum militię Capitaneus,in frontem Crucem; Capitanea ipſa Romanæ claſſis, *quinque remis*, teſte Boſio fol. 556. ad calcem: quinq; vulneribus militiæ Seraphicę Capitaneus inſignitus eſt. En deniq; finis eorum,Laus Deo. Alium ſiquidem Opt. Max. finem non habuit, quam Filij ſui decus,& laudem primarium. Secundarium verò, Paſſionis eius memoriam Fidelium cordibus infigendi. Per Crucem itaq; mundi verſauit exordia, eamq; myſteriis adumbratam inuoluens, populo ſuo, quin & Gentibus,exhibuit venerādam. In Cruce orabat Moy-

ſes,

ses,exod. 17. in Cruce Gentiles.Ouid. Meta. lib. 3. Virgil. Anei lib. 2.9.11.

Finitur finis. §.

GRegorius Magnus lib.7.Registri epist.53. *Scio quidem,ait,quòd imaginem Saluatoris nostri non ideo petis, vt quasi Deum colas: sed ob recordationem Filij Dei in eius amore recalescas,cuius tu imaginem videre desideras. Dum nobis ipsa pictura,quasi scriptura,ad memoriam,Filium Dei reducit;animum nostrum aut de resurrectione latificat, aut de Passione demulcet.* Dionisius Areopagita: *Amatorie nos prosequitur; hoc autem callidum est amantis artificium, ut varias induat formas,figurasq; multiplices; ut facilius amatum ad sui amorem alliciat;acutus enim amor,formas multiplices effingit, & ostendit.* Remembratiuum igitur signum est B. Francisci stigmatizatio,ad inflammandum corda nostra, nostrisque mentibus, tale tantumque beneficium reducendum, Passionis insignia fidelissimi Serui membris impressit. Quota nobis corporalis absentię suæ solatia, signa reliquerit,veterum monimenta testantur. Niloticam secus oram,corporis infantilis formam in lapide reliquit impressam;lege Brocardum c.6.§.8.descriptionis Terrę Sanctę: Petrum Comextorem in historia cap. 72. In Nazareno monte figuram Sacratissimi sui corporis, & membrorum,eodem Brocardo teste, reliquit in lapide. In horto Getzemani, vbi orauit pedum vestigia genuumq; reliquit impressa ex eodem Brocardo, par. 1.Prope eundem locum, scribit idem, ætate sua cerni in lapide,digitorum, manuum, pedumque,& poplitum formas, à capturę tempore in vrbe Tyro, petra extare ab eodem Auctore scribitur, super quam pedes habebat dum populo prędicaret, & in ea pedum insculpta vestigia; quodq; mirius, puluerem nunquam potuisse impressionis in cauis manere, sed iugiter munda, & nitida perseuerasse. Ad littus maris Galileę vbi stetit Discipulos alloquens dicensq; *habetis hic pulmentarium?* in

lapi

lapide pedes videatur impressi. In Monte Olueti pedum plantas etiam reliquit impressas lapidi, quo sistebat, quum sese ad astra proripuit. Referunt Adricomius, Brocardus, & alij. Vides quot stigmata? Cernis quot mysterij Sanctæ Incarnationis suę monimenta ab oculos posuit? Ad quid ea? Ad inflammandum corda nostra sui amoris igne.

Vultus pulcherrimi monimentum reliquit, in Linteò Abagari Regis; Damascenus lib. 4. c. 17. de Fide Orthodoxa. Nicephorus, in hist. Eccles. lib. 4. Euagrius lib. 4 c. 27 & in Synodo Nicena hæc habentur. *Edessam petiui, & uenerandam imaginem, non factam hominum manu, adorari, & uenerari à populo uidi.*

Vultus lugubris, męsti, liuidiq; Imago, in Lintheo piæ Veronicæ non remansit? Ostenditur Romæ, in Vaticano quotannis in die Parasceuæ; & ego indignis hisce genibus adoraui, sicut & clauum, Crucis titulum, spinas, & lanceam. De venerando, & adorando sudario isthoc, Adricomius in descrip. Ierusalem, nu. 44. Salignatus tom. 8. c. 7. Paschasius Carmelitanus, disp. 210. Breydembachius, Conradus Bruno, Conradus Clinguius; Frãciscus Suárez, disp. 54 in 3. p. S. Tho. Medina, 3. p. q. 25. Rutilius Benzonius, alijq; per plures egere.

Sacratissima Syndon, quę tali ac tanta cum veneratione apud Taurinum Sabaudię curiam asseruatur clarissimum Passionis est monimentum; quæ pro nobis peccatoribus pertulit, vulnerum memoriale.

Crucis Christi Mons Aluernę recenset mysteria, isq; Fidelibus reducit in mentem, non Crucem modò, verùm & Crucifixum quoq; Dei Filium Saluatorem Iesum. Ipse ad viuum reprę sentat in Francisco Passionem, & Passum. Cedant igitur Abarim Moysis. Berecynthus Phrygię: Cynthus Apollinis: Dodona Chaonię: Erymanthus Arcadię: Falernus Campanię: Garganus Apulię: Helicon Bęotię: Ida Troię: Kaucasus Indię: Libanus

nus, Phænicię : Marathon Atticę: Nitrius Thebaidę: Olympus Macedonię: Parnassus Phocides: Quirinalis Romę: Synai, Thabor: Vulcanus; Vesuuius: Nam Crucis Christi Mons Aluernę, recenset mysteria, ibiq; salutis æternæ dantur priuilegia per Dominum nostrum Iesum Christum. Qui cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti, viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Omnia sub censura Ecclesiæ Matris.

Index Capitum, & Paragraphorum, hac in Chronica contentorum.

Ani-

FINIS.

F. Bo-

F. Bonauentura à Castellina Ord. Min. Reg. Obseru. Concionator, ac Sacræ Theolog. Gen. Lector, in Prouinciaque Thusciæ Minister, & Seruus Dilecto nobis in Christo R. P. F. Antonio Francesco ab Emporio eiusdem Prouinciæ Concion ac Gen. Sacræ Theologiæ Lect. Salutem.

Quia liber inscriptus Chronica Montis Aluernę à R. P. F. Saluatore Vitale nostrę Prouincię Thusciæ Theologo, & Generali Prædicatore editus in lucem mittendus est, eiusce tibi tenore præsentium correctionem, & reuisionem committimus, quatenus exploratus, & à te reuisus prelo mãdetur; quod vt mandet, ipsi Auctori concedimus facultatem ad honorem Dei Opt. Max. nostriq; Seraphici Patriarchę illo in Monte Crucis Monilibus insigniti.

Dat. In Conuentu nostro Omnium SS. Flor. die 7. Aprilis 1630.

F. Bonau. qui supra manu prop.

Ego F. Antoniusfranciscus Caballius ab Emporio Sac. Theolog. Gen. Lect. et Prædicator, veloci alacriq; animo, et graui pede, & considerato incessu peragraui Seraphicum hunc montē, sub titulo, Chron. Seraph. Mõtis Aluernæ Authore R. P. F. Saluatore Vitale, &c. *Hucusq; anc ps peruent, an Seraphicus Mons ille plus miraculis, qua floribus vernet, vel iste plus sententiis quam periodis, plus eloquētiæ flosculis, quam historiarum arboribus, Sacrarum Authoritatum floribus, & Seraphicarum allegoriarum fructibus, virescat, frondeat, floreat, & fructificet. Soluat & legat, qui legit, & Chronicam hanc perlegendo, Seraphicum Aluernæ montem peragrasse fatebitur. Quod vt contingat, nedum approbo, & propria manu subscribo, verum eos ad quos spectat, vt prælo dent, rogo, atq; exoro. Ex nostro Conuentu Omnium SS. Florentiæ die 17. Aprilis 1635.*

Illust.

Illust. & ad Reu. D. Pandulphus de Ricasolis Baronibus Canon. Flor. Videat, & referat. An aliquid contineatur q: o d sit contra fidem, aut bonos mores. Die 18. Aprilis 1630.

Alex. Archiep. Flor.

Ego maximo meo gaudio vidi hanc totam Historiam de S. Fran. stigmatizato, typis dignissimam, quæ Scriptura quasi Pictura nobis ad memoriam Filium Dei reducit, & animum nostrum aut de infinita eius dignatione lætificat, aut de passione demulcet, quare amplectemur illud Grego. Nazianzeni documentum. 15. Car.

Vnicum hominibus bonum, & stabile est, sublata Cruce, mundum deserere: Et illud etiam eiusdem imitemur, quod, in alienum à me translatum, sic legitur, 21. Car.

Idest, Crucem in membris meis fero; Crucem in itinere, Crucem in corde; Crux est mea gloria. Et hisce tribus linguis hos omnes libros subscripsi, cum eas Christus Dominus suo Crucis Titulo sanctificauerit, atque consecrauerit. Flor. die 4. Maij.

Pandulph. de Ricasolis Baron. Can. Flor. manu pp.

Imprimatur Flor. si placet ad R. P. Inq. die 31. Maij. 1630.

Alex. Archiep. Flor.

Imprimatur die 4. Iunij 1630.

F. Clem. Egid. Inq. Gen. Flor.

Stampisi adi 7. di Giugno. 1630.

Niccolò dell'Antella.

Errata grauiora.	*Correpta.*	*Errata grauiora.*	*Correpta.*
p. 3.l.7.)opinatur,	opinatur)	91.l.2. ego fratres.	ego frater
3.l.5. claritatis	claritatis	97.l.27.Iobilum	iubilum
4.l.18.ponè	penè	107.l.17.vos	nos
5.l.6. Auguſtarũ	.auguſtarũ	108.l.6. Areè	Aptè
5.l.7. Vrbiium,	Vrbinum	129.l.15.quipem	quidem
6.l.3. Biblea,	Biblena	131.l.24.eſt ſimilis,	& ſimilis
7.l.31.monacus	monaci	137.l.26.§.2.	§.10.
13.l.28.peruere	peruenere	145.l.3. Chriſti	Chriſto
29.l.27. perquenno.	pequenno	161.l.18.prixide	pixide
32.l.4. auno	anno	164.l.23.recuqi	necubi
33.l.25.ſed	ſub	165.l.2. Guardiannis	Guardianũ
34.l.15.examinis	exanimis	166.l.24.requerit	nequierit
34.l.28.Petri	Patris	167.l.1.biatus	hiatus
36.l.10.Hofanna	Hoſanna	168.l.16.potes	potens
37.l.14.gebant	gerebant	170.l.2.perculit	percutit
42.l.5.Franciſcus,	Franciſco	171.l.16.2000.	20000.
43.l.13.orationem	ad orationẽ	172.l.3. lib.6.	lib.7.
ibid. accide	accipe	177.l.29.aſſerto	aſſertor
44.l.7. ſciſſuraſq;	ſciſſuras	178.l.9. att.	art.
46.l.32.cum alij	cum alijs	ibi.l.5.fluebati	fluebat
51.l.6.Ioannem	Ioanne	ibi.l.19.menſes	menſe
54.l.26.ſcature	ſcaturire	ibi l.29 humanitas	humanit⁹
61.l.16.penetlauit	penetrauit	179.l.4. pro filij	filij
68.l.vlt.gloriofam	glorioſam	ibi.l.14.ſepuliendũ	ſepeliẽdũ
71.l.3. mentem	mente	183.l.9.Venerandas	Venerãd⁹
74.l.25.apparent	apparens	190.l.vlt.mutis	montis
76.l.20.en ſexto	in ſexto	197.l.27.Frattum	Fratrum
83.l.16.ad	ac	198.l.17.Oriundos	Oriundo
86.l.17.nos tamen	non tamẽ	ibi.l.26.reuelauit	releuauit.
ibid. inficias non	ĩficias nos	121.l.14.an malibus,	animalib⁹
88.l.19.inuadiſſe,	inuadiſſet	231.l.13.Rſiper.	Rupertus
89.l.15.ligatas	ligatas hẽt	233.l.19. Geubus	Genubus
ibi.l.23.Chronici	Chronicis	136.l.3. pijſſime	pijſſime
90.l.9 Ipſis	ipſius		

